



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Ss. Martyrvm Crvciatibvs Antonii Gallonii Rom. Congregationis Oratorii Presbyteri Liber

Gallonio, Antonio

Romae, 1594

De alijs instrumentis, ac modis, quibus martyres cruciabantur. Cap.
Nonvm Et Vltimvm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10704

De alijs instrumentis, ac modis, quibus martyres cruciabantur.

CAP. NONVM ET VLTIMVM.

EXoptās adhuc vehementissime diabolus singulas hominum animas lucrari, non cessabat modos alios, aliasq. rationes assidue inuestigare, quibus Christi fidē funditus euertere, exturbareq. potuisset: itaque arbitratus se nactum occasionem ad hoc facile consequendum, si in Christi membra sœuitiam exercere non desisteret, effecit, vt præclari illorum temporum Iudices hoc vno sapientiam suam omnibus admirabilem fore putarent, si viros ac mulieres sanctissimæ nostræ fidei propugnatores ac præcones crudelissime torqueri, excruciarī, & quam maximo fieri posset doloris sensu, trucidari curarent. O stultā sapientiam! o inanem cogitationem! Vere, vere stulti facti sunt principes Thaneos: vere defecerunt scrutantes scrutationes, & consilia mala: Defecerunt siquidem (vt scribit Eusebius*) carnificum manus, & sibi inuicem succedentes fatigati sunt: hebetata est acies gladij. Videbam fessos residere tortores, resumere vires, animos reparare, mutare gladios, diem quoque ipsum non sufficere ad pœnam. Nemo tamen omnium, ne puer quidem infans, a morte deterreri potuit: sed hoc vnusquisque metuebat, ne, dum celerem Sol vrgens clauderet diem, auulsus a consortio martyrum remaneret. sic confidentia fidei constanter & fortiter, cum lætitia & exultatione mortem præsentem, velut æternæ vitæ principia rapiebant. Denique dum priores iugularentur, reliqui psallentes, & hymnos Deo canentes, locum quisque sui martyrij expectabat, vt hoc modo etiam extremam vitæ spiritum in diuinis laudibus exhalarent.] hæc ille.

* *Histor. lib. 8.*

Vere igitur defecerunt peccatores, vere stulti facti sunt, & in foueam, quam ante sanctorum faciem foderant, incidere: decernebant enim hi, vt Christiani vel minutatim conscinderentur, vel stylis ferreis, aut graphijs puerorum, quod idē est, creberrimis ictibus confoderentur, aut clavis toto corpore, vel aliqua eius parte configerentur, vel medij ferris dissecarentur, terebra-

cerebrarentur lanceis, aut gladijs transfigerentur, sagittis confingerentur; eorum ventres, auulsis iecoribus, discinderentur; iugularentur, capite plecterentur, notis & stigmate deformerentur, securi aut fustibus eorum capita tunderentur, atque illiderentur, mulieribus abscinderentur mamillæ, quibus etiam, sicuti & viris, linguæ, manus, pedes, aut eorumdem crura frangerentur, euellerentur dentes, vel adhuc uiuentibus pellis crudeliter detraheretur, aut præacuta sude per media viscera transfigerentur; in vnguibus, oculis, ac vultu acutissimis calamis excruciantur; ex altissimis locis præcipites deijcerentur; per loca carduis & tribulis confita, acutis lapidibus referta, equis indomitis, alijsve modis raptarentur, feris obijcerentur, viui terra obruerentur, in profluentem deijcerentur, in calcis fornacem conijcerentur, vestibus denudati publice ducerentur; vel, vt sicubi vicinæ sibi duæ arbores repertæ fuissent, vi quadam ab vtraque inflexis contra se inuicem ramis, eis singulis singuli martyris pedes alligarentur; vt rami, qui vi adducti fuerant, remissi, impetu quodam ad situm suum naturalem reuertentes, visceribus discerptis, auulsa secum vincti hominis membra raperent: & demum vel statuebant hi idolorum cultores, vt Christiani in exilium omni penitus solatio destituti pellerentur, aut ad marmoreos lapides secandos, fodiendam arenam, eandemq. proprijs humeris ad eorum ædificia, quæ tunc extruebantur, deportandam, vel denique vt ad metalla impellerentur. His itaque cruciatibus, atque alijs, de quibus superioribus capitibus, alijsq. etiam, quorum nomina ob eorum immanitatem se ignorare Eusebius fatetur histor. lib. 8. c. 13. excruciantur beatissimi Christi milites; non tamen superari vicique poterant: cælesti quippe præsidio muniti, omnia fortiter constanterq. & sustinebant, & perpetiebantur. Stabant siquidem (vt beati Ephræm verbis vtamur) certaminis tempore fortissimi bellatores Dei singula tormenta summa animi alacritate tolerantes pro nomine vnigeniti Filij Dei, ac seruatoris nostri Christi. Quam vero strenui, quantaq. fortitudinis laude præditi fuere, qui subiecta oculis horrenda supplicia contra se parata, non modo nihil timuerunt, verum maiore quoque constantia

3. Ephr. de laudibus sanctorum martyrum.

stantia pugnantes, cuncta perferendo superarunt. Cernebant ardentem rogam, ignitas sartagine, ebullientes ollas, quæ feruore nimio guttas picis & adipis longius iaculabantur. Aspiciebant item ferratas atque aculeatas rotas inter ignium globos nimia celeritate versari. Intuebantur ferreas vngulas, laminaq. candentes, fustes, vrsos, leones, præcipitia, vestes, terebras, compedes, atque catenas, omnemq. prorsus artem, quam veritatis inimicus aduersus confessores Domini Saluatoris inuenit. Omnia enim pœnarum genera in conspectu martyris hostis callidus dedit, vt sanctos verteret in formidinem, & aspectu ipso ac terrore pœnarum, lingua non amplius confiteri Dominum Iesum, metu impedita, præsumeret.

Quid autem fidelissimi promptissimiq. bellatores Christi, inter huiusmodi ante oculos exposita horrenda inauditaq. supplicia? promptiores effecti, maiore fiducia, atque constantia, indubitanter & intrepide ante tribunalia Iudicum ac Præfectorum Christum Dominum confitebantur. Non stridens flamma, non igneæ sartagine, non ollæ feruentes, non rotarum horrendæ vertigines, non ardentes laminae, non vngularum dentes, non cetera id genus tormenta, non compedes, non catenarum pondus immensum, non tyrannorum minæ, non Principum fremitus, non ars tota diaboli, ministrorumq. eius, exterruit fortissimos milites Christi, non impulit abnegare impietatem, non a charitate Dei & Saluatoris abduxit: sed præcincti fide, conculcarunt machinas omnes inimici, neque illos omnino formido tentauit. Vidisti feruorum fidelium robur? Vidisti gloriam pugilum Christi, atque constantiam? Vidisti alacritatem ingentem, caeleste Regnum tota fide quærentium, Christumq. Regem suum omni affectu ambientium? Vidisti fidem perfectam veraciter perfectorum? Vidisti charitatem in beatissimis martyrum pectoribus flagrantem, pro qua terrena cuncta spreuerunt, vt Deum suum tenerent, quem amauerant? Vidisti affectum Christi, quomodo a terra eleuat sublime exaltari cupientes? Vidisti exultantem paradysum amplecti, ac fouere sui quosdam auidos milites Christi in æterna luce ac pace gaudentes.

Accede, charissime, pertracta, contemplare martyrum gloriosos

A a

riosos

riosos triumphos, aspice oculis cordis cælestium pugilum eximiam fidem, inuiolabilemque pietatis affectum. Non potuit vis immensa pœnarum, iustorum animos flectere: tam intrepidæ charitatis ardorem nec mors ipsa quiuit extinguere. Cæsi, magno cum gaudio flagrorum ictus, ut summas delicias, suscipiebant: serenâque ac ridenti facie gratias Deo referebant, quia meruerant pro ipsius nomine pati. Quibus ego vos laudibus prædicem, o perfecti milites Christi? aut quomodo appellem vos, inclyti, atque beatissimi viri? quis vestræ fidei laudes explicare sufficiat? Obstupuit nempe oratorum facundia, philosophorumque sapientia, dum cernerent mirabilia in Christi famulis fieri: Iudicibus ac Tyrannis verba defecerunt, sanctorum martyrum constantiam & alacritatem, immensamque athletarum Christi tolerantiam aspicientibus: nam dum licitorum manus eorum membra torquerent, visceraque nudarent, non mærentes aspexere, non tristes, nec solum inter cruciatum gemitum non edentes, verum lætiore facie gaudia interna obtinuit: Quippe illis ea erant tormenta pro requie, & carnifices obsequi potius, quam sæuire videbantur.] hæc S. Ephræm. Sed ut eo iam, vnde digressi sumus, reuertamur; probanda sunt singula hæc suppliciorum pœnarumque genera, rebusque gestis sanctorum martyrum confirmanda.

*De martyribus
minutatim con-
fessis.
De martyribus
stylis, stimulisque
confessis.*

Indicant primum Acta Nicephori martyris a Romano Martyrologio descripta 5. Kal. Martij, & Iacobi cognomento Interfici a Surio tom. 6. & a Mombratio tom. 2. Alterum vero S. Gregorius Nazianzenus orat. 1. in Iulianum de Marco Arethufio verba faciens, Victor de persecut. Vuandal. lib. 1. res gestæ item B. Cassiani a veteribus manuscriptis recitatæ, & a Mombr. tom. 1. a Petro lib. 7. cap. 58. a Surio tom. 4. & a Prudentio, a quo ceteri desumpserunt.

*Styli ferrei, seu puerorum graphia quid sint, quibusve
vobis accommodata.*

Erant hæc, instrumentum æneum, quo in albo, id est, in ceratis tabellis, primis illis temporibus scribebatur, ut nunc in lignis

lignis libellis, vel codicillis mercatores scribere confueſcunt.
 Job 19. Quis mihi det, vt exarentur in libro ſtylo ferreo, & plumbi lamina?] Plautus Bacch. actū 4. ſcen. 4. Affer cito. P. quid? C. ſtylum, ceram, tabellas, & linum.] & paulo poſt: Cape ſtylum propere, & tabellas has tibi do. quid poſtea? C. quod iubeo, ſcribito iſtis: nam propterea volo ſcribere, vt pater cognoſcat litteras, quando legat. ſcribe] & quæ ſequuntur. Et Milit. actū 1. ſcena 1. Habes tabellas? A. vis rogare? habeo ſtylum.] Plinius lib. 34. cap. 14. Et cum ſtylo ſcribere inſtitutum eſt, vt vetuſtiſſimi auctores prodiderunt.] Hiſce itaque ſcribendi inſtrumentis, tamquam acerbiffimo mortis genere, confodiebantur ſæpiſſime morti adiudicati. teſtantur hoc varij auctores, & hi quidem grauiffimi, vt Suetonius in Caio cap. 28. his verbis: Cum diſcerpi Senatorem concupiſſet, ſubornauit, qui ingredientem Curiam, repente hoſtem publicum appellantes, inuaderent, graphijsq. confoſſum lacerandum ceteris traderent.] Seneca de clement. ad Neronem lib. 1. cap. 14. Dum, inquit, Erixionem equitem Romanum, memoria noſtra, quia filium ſuum flagellis occiderat, populus in foro graphijs confodit.]

Ad hæc, idem teſtantur quoque Marci Arethuſij Acta; ſic enim in eis legitur: A pueris ad pueros Marcus pendulus remittebatur, cultris pennarijs, hoc eſt, graphijs, generoſum illud corpus excipientes.] idem etiam Acta S. Caſſiani martyris his verbis: Interrogatus hic ſanctus vir a perſecutore, quid artis haberet: quia pueros notas doceret, reſpondit.] & mox: Spoliatus veſtibus, ac manibus poſt terga reuinctis, ſtatuitur in medio: vocatiſq. pueris, quibus docendo exoſus factus fuerat, data eſt facultas eum perimendi. At illi quantum doluerant diſcentes, tantum ſe vlciſci gaudentes; alij eum tabulis verberabant, alij ſtylis feriebant. Quorum quanto infirmior erat manus, tanto grauioſam martyrij pœnam, dilata morte, faciebant.] hucſque eius reſ geſtæ ex veteri S. Mariæ Maioris manuſcripto deſumptæ.

Stimulis torqueri quid.

Non idem erat
torqueri stimulis,
& stylis confodi.
* In mensem
Maij.

Aliud erat stimulis torqueri, & stylis ferreis confodi: namque (vt in Notis ad Romanum Martyrolog. * legitur) hoc supplicij genere excruciabantur tantummodo rei, illo autem & excruciabantur, & crudelissime etiã interficiebantur. Insuper hoc, quod stimuleum dictum reperitur, feruis, qui furtum fecerant, admo- ueri consuevit, illud grauissimorum scelerum conscijs. Meminit stimulei cruciatus Prudentius hymno S. Hippolyti martyris, cum inquit:

Iliaq. infestis perfodiunt stimulis.]

& Plautus pluribus in locis, speciatim Aſinar. actu 2. scen. 4. Vtinam nunc mihi stimulus in manu sit.] & actu 3. scen. 2. Ad- uorsum stimulos, laminas, &c.] & Mostell. actu 1. scen. 1. O carnificium cribrum, quod credo fore. Ita te forabunt pati- bulatim per vias Stimulis, huc si reueniat quamprimum se- nex.] & quæ sequuntur. & Menæh actu 5. scen. 5. At ego te pendentem fodiam stimulis triginta dies.] & Milit. glor. actu 2. scen. 6. Nisi tibi supplicium stimuleum de te dedatur.]

Stimulus quid
essen.

Adde, si vis, quæ idem scripsit Menæh actu superius cit. scen. 2. Iam ascendo in currum, iam lora teneo, Iam stimulus in manu est.] quibus locis instruimur, fuisse stimulum, fustem, seu arundinem acutæ cuspidis, quo rustici boues suppungunt. Con- firmant hoc Acta S. Iosephi martyris a Metaphr. recitata apud Surium tom. 2. his verbis: Illi vero obelisco longæ arundini alligato, eo sanctum pungere imperabant.] hæc ibi. Et de his hæctenus.

De martyribus
clauis confossis,
vel ferris disse-
ctis.

Tertium vero ac quartum cruciamentorū genera, quibus SS. martyres vel clauis configebantur, vel ferris ferreis secabantur, ostendūt Acta Sanctorum, Paphnutij a Rom. Martyrologio rela- ta 8. Kal. Octobris, Seueri Episcopi ab eodem Martyrologio 7. Idus Nouemb. & ab auctore Thesauri concionatorum parte 2. Faustæ virginis a Metaphr. Lipom. 5. & Surij 1. & a Mombrit. tom. 1. Bassi Episcopi a Petro lib. 1. cap. 30. Pionij a Metaphr. Kal. Februarij, Floriani a Petro lib. 4. cap. 121. Philomeni mar- tyris

tyris a Martyrologio, & Menologio 3. Kal. Decembr. Euphemix virginis a Mombritio tom. 1. & a Metaphr. Lipom. 6. & Surijs 5. Simeonis Episcopi a Surio tom. 2. & a Nicephoro Calisto lib. 8. cap. 37.

Meminit alterius horum suppliciorum, nempe quarti, Suetonius in Caio cap. 27. vbi etiam de viris quibusdam inscriptione damnatis; de quo tormenti genere inferius tractabimus: quod quidem ideo fecit, vt scuitiam Caligulæ Imperatoris sempiternæ hominum memoriæ traderet. Ex quo colligi posset, maximam fuisse Gentium rabiem in Christi athletas, maximamq. pariter Christianorum hominum constantiam, atque virtutem, qua omnia cruciamenta facili nulloq. negotio & sufferebant, & superabant.

Quintum cruciamenti genus, quo Christiani terebris affiebantur, indicant Acta sanctarum virginum, Fidei, Spei, & Charitatis, quæ manuscripta habemus, & similiter Faustæ virginis, de qua Rom. in Martyrol. XII. Kal. Octobris hæc narrantur:

De martyribus terebris excruciatis.

Cyzici in Propontide natalis sanctorum martyrum, Faustæ virginis, & Eulasij, sub Maximiano Imperatore: quorum Fausta ab eodem Eulasio idolorum sacerdote decaluata, & ad turpitudinem rafa, suspensa, & torta est; deinde cum vellet eam mediam secare, & carnifices lædere non valerent, stupens Eulafius, in Christum credidit; & dum ipse etiam Imperatoris iussu fortiter torqueretur, Fausta capite terebrata, clavis toto corpore confixa, & sartagini igneæ imposita, cum eodem, voce de celo vocata, transiit ad Dominum.]

Sextum vero genus, quo Christiani lanceis, aut gladijs transfigebantur, probari potest rebus gestis SS. Marci & Marcelliani a Petro recitatis lib. 5. cap. 124. Benigni a Surio tom. 6. & a Petro lib. 10. cap. 3. Cyrilli diaconi ab eodem lib. 6. cap. 72. Symphorosæ a Petro similiter lib. 6. cap. 111. & a veteribus codicibus manu exaratis; Fusæ virginis a dicto auctore lib. 3. c. 119. Basillæ & Anatholiæ virginum a nobis in historia nostra sanctarum virg. Romanarum, Eupfichij a Romano Martyrologio VII. Id. Septembr. Iustinæ virginis a Mombritio tom. 2. & a Petro lib. 9. cap. 32. & Polycarpi a veteribus manuscriptis, & ab Eusebio

De martyribus lanceis, vel gladijs transfossis.

Febio lib. 4. cap. 15. Prosequamur modo septimum.

*2 martyribus,
torum ventres
scindebantur.*

Fidem faciunt septimi cruciatus generis, quo martyribus ventres discindebatur, res gestæ S. Cyrilli martyris a Theodoro recitatæ lib. 3. cap. 6. & a Rom. Martyrolog. IV. Kal. Aprilis, his verbis:

Heliopoli apud Libanum S. Cyrilli diaconi & martyris, cuius iecur, discisso ventre, auulsum, Gentiles sub Iuliano Apostata feraliter depasti sunt.]

Testantur hoc idem Acta sanctæ Encratidis virginis, alias Engratiæ, ab auctore Thesauri concionat. relata, & a Martyrologio Rom. 16. Kal. Maij, vbi hæc verba leguntur:

Cæsaraugustæ in Hispania sanctæ Encratidis virginis & martyris, quæ lacerato corpore, mamilla abscissa, & iecore auulso, adhuc superstes in carcere inclusa est, donec vlceratum corpus putresceret.]

*De consimilibus atque diuersis cruciatibus, & pænis, quibus
Christiane virgines afficiebantur.*

*Genera tormen-
torum ac pæna-
rum diuersa, qui-
bus Christiane
virgines afficie-
bantur.*

Discindebantur primum, Iuliano Apostata imperante, sanctæ virgines: quæ deinde, ventribus earum nonnihil adhuc palpitantibus, motuq. quodam agitatis, hordeo refertæ, immanissimis porcis deuorandæ obiciebantur. Narrat hæc omnia & singula S. Gregorius Nazianzenus 1. in Iulianum inuectiua, dum ait. Illi enim, id est, Heliopolitæ (vt vnum e multis commemorem, quod etiam atheis horrorem incutere queat) virgines castas, & mundo sublimiores, quæq. vix etiam vnumquam viris in conspectum venerant, in medium productas, vestibusq. nudatas (vt per aspectum contumeliam ipsis prius inferrent) ac postea proscissas, atque dissectas (o Christe, quomodo tuam illius temporis patientiã feram?) partim proprijs etiam dentibus comminutas edisse, atque, vt eorum execrandum furorem decebat, crudis hepätibus sese ingurgitasse feruntur, ac cibo illo perfunctos, communem & vtitatum admisisse: partim palpitantibus adhuc visceribus suillum pabulum inseruisse, ferocissimisq. porcis immisissis, hoc spectaculum obiecisse; vt simul cum hordeo
carnes

carnes laniari atque exedi perspicerent.] & reliqua: quibus similia penitus referunt Theodoretus lib. 3. cap. 6. & Sozomenus lib. 5. cap. 9.

His itaque omnibus monemur, fuisse Christianas virgines ignominiae causa hoc modo discissas, vestibulq. pariter denudatas: nulla siquidem maior contumelia virginibus contingere potest, quam ab impudicis petulantibusq. oculis nudas conspici.

Hoc ignominiae genere affectae fuere sanctae Christi virgines Prisca, Agnes, Anastasia maior, Febronia, Eulalia Emeritensis, Barbara, Christina, Reparata, Euphemia Aquileiensis cum tribus fororibus, nepe Dorothea Thecla, & Erasma, aliaq. multae. Praeterea alij quoque, atque alij contumeliarum probrorumq. generibus sacrae virgines vexabantur: capilli enim eis quandoque abradebantur. Tradunt haec res gestae beatarum virginum Faustae, Charitinae, Christinae, & aliarum.

Porro quam ignominiosum fuerit mulierum capita radere, ostendunt optime Acta praedicta, Suetonius item in Caligula cap. 5. & ea denique, quae in Notis ad Romanum Martyrologium annotat. 20. in mensem Septemb. de sancta Fausta virgine (quae, ut ibidem narratur, ad turpitudinem abrasa fuit) leguntur. Amplius ignominiae similiter causa tradebantur Christianae virgines, in nostrae fidei contemptum, vel lenonibus, vel petulantibus iuuenibus; aut ad meretricum prostibula, ut ibidem earum virginitas violaretur, ducebantur. Deus tamen, cuius nutu omnia reguntur, eas sibi, saluo pudore, voluit immolari. Si quaeras, cur ista in virgines Christo dicatas scelerasti illi perpetrarent. Id (ut iam diximus) in Christianae religionis contumeliam factum, respondere possumus. Quibus praeterea adiungimus, non licuisse antiquo more Romanorum (Suetonio in Tiberio c. 61. auctore) virgines violata morte necari, nisi prius a carnificibus, vel lenonibus macula affectae fuissent. ponam verba ipsius: Immaturae puellae, quia (more tradito) nefas esset virgines stragulari, vitiatas prius a carnifice, deinde stragularas.] haec ille.

Ex his iam sponte, nisi caecus esse velis, potes Christi virtutem atque potentiam cognoscere, qui sponsas suas, huiusmodi periculo ac discrimini commissas, nouit, earum salua integritate, con-

Agnetis, Priscas, & Anastasiae Acta, nos in hist. SS. virg. Rom. Febroniae Metaphrast. Lipom. 7. Suriy 3.

Eulaliae auctor thesauri concionat.

Barbara & Christinae, nostrae bibliothecae vetera manuscripta.

Harum quatuor sororum vetera manuscripta, & Petrus lib. 8. cap. 29.

Reparata Petrus lib. 9. c. 39. Acta S. Faustae qui referat, & Christinae, vide supra.

S. Charitinae Suriy tom. 5. & Menologium tertio Non. Octobris.

te, conseruare, & ab impudentium hominum manibus eripere, ac liberare. indicat hoc Basilius Magnus lib. de ver. virginit. in hunc modum :

Cū feruēret persecutionis immanitas, electæ virgines propter sponsi fidem, ad illudendum impijs hominibus traditæ, corporibus inuiolatæ durarunt; eo scilicet, cuius gratia perferebant, impiorum conatus in earum carne irritos arguente, & integra earum corpora non sine prodigio & virtute custodiente.] hucusque Basilius.

Agnēis, & Dariae Acta descripsimus nos in hist. SS. virgin. Rom.

Seraphiæ vetera manuscripta, & Surius tom. 5. Theophiliæ Surius ex Metaphr. tom. 6.

Euphrasie Nicephorus lib. 7. cap. 13.

Theodora S. Ambros. de virginib. lib. 2.

Antoninae Surius tom. 3.

Luciæ eiusdem tom. 6. & vetera manuscripta. Susannæ nos in histor. SS. virg. Roman.

*Marianæ Petrus lib. 2. c. 56. * Apologia de fuga sua.*

Tradunt hæc eadem, Acta quoque sanctarū virginum Agnētis, Dariae, Seraphiæ, Theophiliæ, Euphrasie, Antoninae, Theodoræ, Luciæ, Susannæ, Martianae, & aliarum.

Si plura adhuc discere cupis, lege Notas in Rom. Martyrologium ad menses Ianuarij, & Septembris, huius ad tertiū Nonas, illius ad decimum Kal. Februarij; item Nicephorum lib. 7. cap. 13. Senecam controuers. lib. 2. Dionem lib. 56. & Tacitum lib. 5. Et de supplicijs, pœnisque, quibus Christianæ virgines a Gentilibus afficiebantur, satis.

Ab hæreticis etiam sub Constantio Constantini Magni filio, & Valente Imperatoribus Arianis, & sub sæuissima Vuandalorum in Catholicos persecutione sacrae Christi virgines varijs modis in ipsarum sponsi odium ignominij afficiebantur.

De virginibus sub Constantio probro affectis hæc narrat S. Athanasius *: Virgines enim ignibus flammantis rogi admotas, adigebat (sceleratissimus omnium hominum Sebastianus copiarum dux) ad confessionem Arianæ religionis: ibi cum eas inuictas cerneret, corpora nudat, atque ita in faciem cædit, vt vix longo post tempore a suis potuerint agnosci.] & in epistola ad Solitarios: Ariani sacra virginum corpora plagis concidunt, iniecta q. in vestes manu trahunt, capita denudant; eas vero virgines, quæ inter trahendum obnitebantur, calcibus pulsan. Grauiam quidem ista, & nimium grauiam, sed tamen quæ insegura sunt, multo grauiora, & genere contumeliæ prorsus intoleranda. Cum enim scirent pudicitiam virginum, & aurium integritatem, & quod patientius ferrent lapides & fustes, quam obscœna verba; frœdissimis dictis inter inuadendum utebantur: &

hæc

& hæc Ariani iuuentuti suggerebant, quippe qui ad ista dicta & facinora cachinnarētur. sacrae autem virgines, & alia casta mulieres, vt morsus aspidum, ab istiusmodi vocibus refugiebant. Christi vero perduelles suam quoque operam, vt hæc fierent, addebant; nec dissimile est veritati, ipsos easdem cum iuuentute illas voces concinuisse: delectabantur certe petulantia, & obscœnitate verborum, quæ a iuuentute iactabatur.] & paulo post:

Multas, inquit, virgines, quæ & eorum impietatem damnabant, & veritatem agnoscebant, ex ædibus suis deportarunt, aliasq. ad negotia sua euntes contumelijs affecerunt, operamq. dedere, vt a proteruioribus adolescentibus denudarentur: suisq. mulieribus potestatem concessere, vt quam vellēt indigne tractarent.] hæc Athanasius.

De iisdem etiã virginibus sub eodem Imperatore ignominia affectis sic Theodoretus historiæ lib. 1. cap. 14. Georgius Ariannus virgines, quæ perpetuæ castitati se addixissent, coegit non modo Athanasij denegare confessionem, verum quoque fidei patrum anathema denunciare. suæ vero crudelitatis socium atque adiutorem habuit Sebastianum quemdam, ordinum militarium Præfectum: qui in media vrbe accenso rogo, virginibusq. nudis propter eum collocatis, fidem negare iubet. Quæ sane spectaculum acerbum ac miserum Fidelibus pariter & infidelibus constitutæ, ignominiam illam pro magno honore duxerunt.] hæc ille.

De virginibus sub Valente ludibrio item affectis scribit Petrus Alexandrinus apud Theodoretum historiæ lib. 4. cap. 20. his verbis: Palladius ecclesiam Catholicorum ingressus, coepit cum suis copijs, pro verbis grauibus, & ecclesia dignis, simulacrorum laudes decantare; pro diuinarum litterarum lectione plausus indecoros edere; fractasq. voces cum obscœnitate fundere, & contumelias in Christi virgines iacere non sunt veriti.

Quales quidem cõtumelias lingua proferre reformidat, quippe cum dictu turpes sint. Nam quisnam bene sanus, cum eas tantummodo audiret, non aures penitus obstrueret? immo vero optaret se potius surdum esse, quam vt tantam obscœnitatem auribus acciperet? Sed vtinam verborum turpitudine contenti,

in ea re solum deliquissent: & non improbitate factorum, verborum petulantiam longe superassent. Nam conuicium, qualecumque illud sit, est quidem tolerabile, præsertim his in quorum animis Christi prudentia & doctrina diuina habitat. At isti, uasa iræ aptata ad interitum, nascuti, qui strepitum lasciuum, sonorum, & velut ex aquæductu (vt ita dicam) erumpentem, per nares effundebant; vestes sanctarum Christi virginum, quarum pius vitæ cultus exemplar viuendi sanctorum Angelorum expressit, dilacerare, easq. nudas, vt in lucem editæ erant, per urbem triumphali loco ducere, & pro sua libidine petulanter & obscœne irridere cœperunt: denique quæ perpetrata sunt, tum crudelia erant, tum peregrina. Quod si quis his rebus ad misericordiam inductus, eos vel vi prohibere, vel hortando a talibus facinoribus dissuadere conaretur, non sine vulneribus discessit. Verum (proh dolor!) multæ virgines per vim stupratæ, complures etiam fustibus in capite cæsæ mutæ iacuerunt: quarum corpora tumulis mandandi nulla omnino permessa potestas est: & præterea complura earum corpora, quæ sunt ab illarum parentibus cum multo gemitu quæsitæ, nondum reperiuntur.] hæc Petrus.

De virginibus demum sub Vuandalis Arianis dedecore in Christi etiam contemptum oppressis scribit Victor Episcopus Vticensis lib. 2. hoc pacto:

Præcepit deinde Tyrannus sacras virgines congregari, dirigens Vuandalos cum suæ gentis obstetricibus ad inspicienda & contrectanda contra iura verecundiæ verecunda pudoris, vbi nec matres aderant, nec aliqua matronarum. Quas cremantes graui suspendio, atque ingentia pondera pedibus colligantes, laminas ferri ignitas dorso, ventri, mamillis, & lateribus apponebant. Quibus inter supplicia dicebatur: Dicite quomodo Episcopi vobiscum concumbunt, & clerici vestri. Quarum acerbitate poenarum plurimas tunc scimus extinctas: aliæ quæ remanserunt, cutibus arescentibus, factæ sunt curuæ.] hætenus ille.

Quibus omnibus optime iam instruimur, priorum temporum hæreticos (quorum exempla recentiores, vt ex multis auctoribus colligimus, sequuntur) extitisse in sacris virginibus in Catholica

tholicæ religionis odium persequendis, ignominiaq. afficiendis, sine dubitatione vlla Gentilibus inhumaniores, petulantiores, inexorabiliores, crudelioresque. At omissis nunc hæreticis, accedamus ad octauum propositorum cruciamentorum genus explicandum.

Huius cruciatus, quo Christiani sagittis configebantur, testes sunt eorundem res gestæ, speciatim ducentorum sexaginta martyrum, quorum nomina nobis ignota sunt, a Rom. Martyrologio relatæ Kal. Martij, & a veteribus manuscriptis sub S. Valentini inscriptione, vel Marij, Marthæ, & filiorum, Irenis virginis ab eodem Martyrologio Nonis Aprilis, Christinæ similiter virginis a peruetustis codicibus manu exaratis, & a Petro lib. 6. cap. 130. Sebastiani a veteribus etiam manuscriptis codicibus, & a Lipom. tom. 5. Sur. 1. a Mombritio 2. & a Petro lib. 2. cap. 106. Christophori a Rom. Martyrologio VIII. Kal. Augusti, & Fausti a Græcorum Menologio XVII. Kal. eiusdem mensis, vbi in hunc modum legitur: Eodem die sancti martyr Fausti, qui sub Decio Imperatore propter Christianæ fidei confessionem comprehensus, & libere Christum ipsum professus, cruci affixus, & sagittis vulneratus, cum quinque dies in cruce constanter permansisset, in manus Dei spiritum commendauit.]

De plurimis item Catholicis telis confixis scribit Victor de persecutione Vuandal. lib. 1. his verbis:

Quodam tempore Paschalis solemnitas agebatur: & dum in quodam loco, qui Regia vocitatur, ob diem Paschalis honoris, nostri sibimet clausam ecclesiam reserarent, compererunt Ariani. Statim quidam presbyter eorum, Andiot nomine, congregata secum armatorum manu, ad expugnandam turbam accedit innocentum: introeunt euaginatæ spatæ, arma corripiunt, alij quoque tecta conscendunt, & per fenestras ecclesiæ sagittas spargunt. Et tunc forte, canente populo Dei, lector vnus pulpito sistens, alleluaticum melos canebat. Quo tempore sagitta in gutture iaculatus, cadente de manibus codice, mortuus, post cecidit ipse. Nam & alij quamplurimi sagittis & iaculis in medio crepidinis altaris probantur occisi, &c.]

Noni autem cruciatuum generis, quo scilicet martyres iugu-

B b 2

laban-

Martyres sagittis configebantur.

Martyres iugulabantur.

labantur, testimonium dant res gestæ B. Philippi patris S. Eugeniæ virginis Rom. a nobis relatæ in filiæ historia, & beatissimorum martyrum Iusti atque Pastoris fratrum, de quibus Romano in Martyrologio 8. Idus Augusti hæc verba leguntur:

*Iusti & Pastoris
fratrum marty-
rium.*

In Hispania sanctorum martyrum Iusti & Pastoris fratrum, qui cum adhuc pueri litteris imbuerentur, proiectis in schola tabulis, sponte ad martyrium cucurrerunt, & mox a Daciano Præfide teneri iussi, & fustibus cædi, cum se mutuis exhortationibus constantissime roborarent, extra ciuitatem perducti, a carnifice iugulati sunt.]

*Martyres capite
percutiebantur.*

Decimi generis, quo capitis damnabantur, fidem faciunt innumeræ fere res gestæ sanctorum martyrum, nominatim Terentij, Pompeij, & sociorum a Metaphr. descriptæ Lipomani 7. & Suriij 2. Victoris a Petro lib. 4. cap. 142. Gordiani ab eodem lib. pariter 4. cap. 149. a Mombrit. tom. 1. a Surio tom. 3. Palmatij Consulis, Simplicij Senatoris, & sociorum a veteribus nostræ bibliothecæ manuscriptis, & a Mombrit. tom. 1. sub S. Calisti Papæ inscriptione, Torpetis, & Euellij a Petro lib. 5. cap. 8. & a Mombrit. tom. 2. Venantij a Petro lib. eodem c. 12. Anastasiæ, & Basilissæ a nobis in historia SS. Virg. Romanarum, Paulæ virginis a Rom. Martyrol. & Menologio 3. Non. Iunij, Ioannis ac Pauli fratrum a Surio tom. 3. & a Petro lib. 6. cap. 9. Fabij a Lipom. tom. 4. & a Surio tom. similiter 4. ex Adone, Quirini Tribuni a nobis in historia SS. Virg. Romanarum, Apollonij Senatoris a Petro lib. 4. cap. 62. Sulpitij & Seruiliani a nobis etiam in eadem historia in Flauia Domitilla. Præterea demonstrant hoc pariter quamplurima ex Actis sanctarum virginum Romanarum, vt Martinæ, Tatianæ, Priscæ, Soteræ, Theodoræ, Liciniæ, Restitutæ, Cantianillæ, ac fratrum eius, Bonosæ, Luciæ, Floræ, Lucillæ, Susannæ, Benedictæ, Anastasiæ maioris, alterius Lucillæ, Mariæ, & sociorum, atque Artemiæ.

*Percutiebantur
martyres gla-
dio.*

Credibile valde est (sicuti secundo Annalium Ecclesiasticorum tomo legitur) maiorem Christianorum martyrum partem, plurimum gladio, & non securi percussam fuisse. tradunt hæc non solum singulæ fere sanctorum res gestæ veteribus manuscriptis contentæ, vel ab ipsis non mutato stylo desumptæ, in quibus
semper

semper ferme legimus Christi bellatores gladio animadueros, cæfos, percussos, punitos fuisse, & similia: sed etiam quia maioris ignominiaæ erat gladio feriri, quam securi: nam Spartianus in Geta de Antonio Caracalla testatur, improbasse, quod Papinianus, quem interfici iusserat, securi cæsus esset, & non gladio.

Si plura vis ad horum confirmationem spectantia, vide Briffonium lib. 5. de formulis, vbi de gladij animaduersione sermonem habet.

Diximus, plurimum: quoniam negari nequit, securi etiam aliquando hoc eodem mortis genere vita priuatos fuisse: etenim reperitur nonnumquam apud aliquos Ecclesiasticarum rerum scriptores, eos securi percussos, victores ad cælestem martyrij coronam aduolasse.

Decapitabantur martyres aliquando securi.

Modus, quo Christiani capite plectebantur.

Obtruncabantur potissimum SS. martyres (veluti ipsorum Acta indicant) genibus flexis, & corpore incuruato. sic res gesta Sanctorum, Pauli sub Lini nomine, Mennæ a Metaphr. apud Lipom. tom. 7. Dionysij, ac sociorum eius a Surio tom. 5. & a veteribus codicibus manuscriptis, Montani, Lucij, Flauiani, atque aliorum a Surio etiam tom. 1. In rebus quippe gestis S. Pauli Apostoli hæc verba habentur: Ligans sibi Paulus de Plautillæ maphorte oculos, in terra vtrumque genu fixit, & collum tetendit. Spiculator vero in altum brachia eleuans, eum tota vi percussit, & caput eius abscidit.] in Actis autem B. Mennæ hæc: Cum sic dixisset, genibus in terra positis, ceruicem extendit, & statim gladio percussus est.] in illis vero sanctorum Dionysij, Rustici, & Eleutherij, huiusmodi verba: Quapropter velut ab initio virgis in conspectu omnium sancti martyres nudi cæsi sunt, & vestibus reinduti, ad locum constitutum educti ad decollationem, sunt genua flectere iussi.] & post: Positis genibus, & protensis ceruicibus, vno eodemq. momento, secundum Principis præceptum, securibus decollati sunt.] & paucis interpositis: Lux ineffabilis cunctis resplenduit, & beatissimi Dionysij se cadauer erexit, sanctumq. manu caput a corpore, &c.] demum in passione B. Flauiani hæc: Deinde ad locum victimæ, expleto.

Martyres flexis genibus, & oculis ligatis, capite plectebantur.

Maphors accipitur hic pro scudario & panniculo.

expleto sermone, descendit, & ligatis oculis ea vittæ parte, quam Montanus seruare ante biduum iusserat, fixis tamquam ad preces genibus, passionem suã cum oratione perfecit.] idem quoque innuere videntur Acta SS. Acatij, Pauli, & Iulianæ a Metaphr. apud Lipom. tom. 7. & aliorum.

Diximus, potissimũ sic vt iam explicuimus SS. martyres gladio percussos fuisse: quoniam alijs modis id eis accidere poterat: etenim apud Valerium Max. lib. 5. c. 8. (vt alios scriptores, quorum c. 1. & 4. meminimus, omittamus) publicis litteris cõsignatũ inuenitur, capite plectendos, palis alligari consueuisse: nãque ibi ait: Virgis cæsos, & ad palum religatos, securi percũti iussit.] & lib. 3. c. 8. eãdem pene habet. Item etiam, quia legimus B. Stephanum Papam in sua sede positum, & Christianum quemdam, Alexandrum nomine, stantem, capitis damnatos fuisse: in huius enim Actis, quæ ex Metaphr. Lipomanus sub alterius Alexandri titulo tom. 7. descripsit, hæc verba referuntur: Cum hæc turbis dixisset, Alexander ad carnificem conuersus, Mane, inquit, frater, parumper, vt adhuc Deum orem. Ac flexis genibus, ita Deum precatus est.] & paulo post: Hac voce audita B. martyr surrexit e terra; & milites hortatus, Cito, inquit, fratres, facite quod iussi estis.] & post: Hoc cum ille dixisset, gladium eduxit Cælestinus, & linteo sumpto, oculos B. Alexandri contexit, &c.]

Qui capite plectendus erat, virgis primum cædebat.

Ex his quæ hucusque diximus, colligitur, gladio percutendos, virgis primum cæsos fuisse, & postea eisdem oculis linteis aut sudariolis obductos, atque velatos. Vide quæ nuper ex rebus gestis sanctorum Pauli, Floriani, Alexandri, & Dionysij, sociorumq. eius citauimus, atque insuper quæ ex Valerij Maximi auctoritate, quæue pariter cap. 4. de martyribus vestibus denudatis, flagellisq. verberatis ex antiquorum libris recitauimus.

Ad hæc item magis cõfirmãda referre possumus Acta S. Cypriani a Pamelio in eiusdẽ sancti viri operis initio relata, & B. Iustini a Metaphr. Lipom. 7. & Suriij 3. in quibus hæc conscripta leguntur: Hæc audiens Præfectus, talem sententiam pronunciauit: Qui dijs sacrificare, & Imperatoris edicto parere noluerunt, flagello

flagello cæsi, ad capitalem pœnam adducantur, quemadmodum leges præcipiunt. Itaque SS. martyres Deū collaudantes, ad consuetum locum perducti, post verbera securi percussi sunt.] In rebus vero gestis S. Cypriani hæc: Sed iam ligatis per manus suis oculis, moram carnificis vrgere tentabat.] His proxime accedunt, quæ in passione S. Montani, cuius superius facta est mentio, continentur; sunt autem huiusmodi: Et quo precis suæ fidem beatus hic vir, qui scilicet erat tunc gladio puniendus, faceret; manualementem, quo oculos fuerat ligaturus, in duas partes discidit, & iussit alteram reseruari, qua Flauiani oculi, qui & ipse capite plectendus erat, post crastinum ligarentur.] quæ vero sequuntur verba, iam supra ad aliud comprobandum recitauimus. Lege pro dictorum confirmatione Iosephum de bello Iudaico lib. 7. cap. 14.

Insuper velim te scire, Catholicos aliquos ab hæreticis nostræ ætatis capitis damnatos fuisse, inter quos (Sandro teste lib. 1. de schismate Anglic.) fuere præcipue duo Angliæ lumina, Ioannes Fulcherus Episcopus Roffen. sacratissimo Illustrissimorum Cardinalium Collegio adscriptus, & Thomas Morus equestris ordinis, paulo ante Regni totius Cancellarius.

*quo luminaria
Anglic.*

Vndecimi vero prædictorum suppliciorum generis, & duodecimi, quibus SS. martyres vel notis deformabantur, vel securi, aut fustibus eorundem capita tundeantur, testes sunt res gestæ beatissimarum virginum Romanarum Bibianæ, atque Aureæ descriptæ a nobis in earum historia, & Maximi, atque Olympiadis a veteri S. Mariæ Maioris manuscripto, & a Surio tom. 3. sub Laurentij martyris nomine, item SS. Eutropij, & Getulij, huius a Petro lib. 5. cap. 104. illius ab eodem auctore lib. 4. cap. 105.

De inscriptione vultus.

Fit mētio de hoc duodecimo supplicij genere (quo summa irrogabatur iniuria, cum liberi hominis facies eo afficiebatur) a Suetonio in Caio cap. 27. his verbis: Multos honesti ordinis, deformatos prius stigmatum notis, ad metalla & munitiones viarum

*Supplicium in-
scriptionis vultus
quale fuerit.*

*Constantinus ve-
stitit hanc vultus
deformatem.*

*Theophilus Ico-
noclasta quid in
Catholicos.*

** 12. Kal. Ianua-
rii.*

rum, aut ad bestias condemnauit.] Itē a Seneca lib. 3. de ira cap. 3. dum inquit: Varia vinculorum genera, varia pœnarum, lacerationes membrorum, inscriptiones frontis, &c.] a Valerio Max. lib. 6. cap. 8. & a Dione histor. Rom. lib. 97. Vetuit Constantinus Imperator hanc vultus deformitatem, qua reorum frontes atris notis perpetuo mansuris profundis characteribus incidebantur, l. 2. de pœnis. C. Theod. quam tamen Theophilus hæreticus Imperator Iconoclasta restituit: his siquidem notis sanctorum fratrum Theophanis ac Theodori vultus deformauit, immo potius decorauit. Legat lector Notas in Rom. Martyrologium in mensem Decembris*, Georgium Cedrenum in compendio historiæ in Theophilo, & Boetium de consolat. prof. 4.

Ceterum placuit nobis hoc loco, ad maiorem Dei gloriam, & Fidelium deuotionem, referre quæ de prædictis martyribus Theophane & Theodoro fratribus ex eorum epistola ad Episcopum Cyzici, & ad reliquam Orthodoxorum multitudinem, descripsit Metaphrastes. Sunt autem huius generis:

Cum nos (id est, Theodorus, & Theophanes) ante cōspectum Imperatoris stantes tacuissemus, & oculos humi deiecissemus; ad Præfectum, qui prope stabat, impudenti oratione & toruo aspectu conuersus Imperator, cum magna ira & voce aspera hæc locutus est: Tolle eos, & in eorum facie inscribe & inculpe hos iambos, & trade eos duobus Saracenis, & abducant eos in terram suam. Propè vero adfuit, qui eos habebat iambos, qui eos etiam fuerat meditatus, nomine Christodolus: cui etiam iussit eos legere, hoc etiam adiiciens: Etsi non sint pulchri, ne sit tibi curæ. Is autem dixit: In componendis versibus tam accurate sumus exercitati, vt satis sit ad eos irridendos. Et ideo quidam, qui aderat, ad gratiam loquens ei dixit: Ne digni quidem sunt isti, o Domine, vt sint iambi pulchriores. Satius est autem, illos ipsos, ita vt se habebant, inferere narrationi:

*si quisque
ad se conuertit
et seipsum
contemnit*

*Cunctis ad urbem adire eam volentibus,
Stetere vbi verbi Dei casti pedes,
Terrarum vt orbis per id queat consistere,
Apparuerunt isti honorando in loco,*

¶

Erroris

*Erroris impij mala vasa & reprobata,
 Cum multa fecissent ibi perturpia,
 Grauique, quod deesset eis recta fides,
 Illinc abacti sunt sicut apostatae:
 Confugientes autem ad urbem Imperij,
 Stultitiam haud reliquerunt nefariam.
 Quare notati & inscripti ut malefici,
 Damnantur, exigunturq. improbi iterum.*

His lectis, iussit nos adduci in prætorium, & postquam egressi essemus] & quæ sequuntur.

Et inferius: Est enim facilius facere, vt terra & cælum sint fursum & deorsum, quam nos traducere a pietate. Tunc iussit inscribi nostros vultus: & cum adhuc in nobis inflammatae plagæ, quas ex flagellis acceperamus, graues afferrent dolores, extendentes super scamna, vultus nostros insculpebant. Cum autem longo tempore pûngerent, occidente Sole, tenebræ factæ sunt. Quod quidem effecit, vt vel inuiti cessarent inscribere. Egressuri vero, diximus Præfecto, & ijs qui aderant: Sciatis Cherubim, quæ has viderunt litteras, esse cessura, & flammeam irhompheam, versis tergis, concessuram nobis ingressum in Paradisum, vt quæ sint reueritura nostros vultus pro communi Domino tā ignominiose insculptos. Hoc enim a vobis solis factum est a sæculo, & hoc est nouum inuentum, & redidistis omnes benignos & clementes, qui aduersus diuinum nostrum dogma infanierunt. In facie autem Christi omnino agnoscemini, & vobis exhibebuntur legendæ hæc litteræ. Ipse enim dixit: Quæcumque fecistis vni horum minimorum, mihi fecistis.] & infra: Neque enim nobis in angulo, neque in occulto hæc facta sunt: sed in theatro, & in medio orbis terrarum.] sic quidem epistola.

At prosequamur alia, nempe decimumtertium genus, quo mulieribus, augendi doloris studio, vel altera, vel ambæ mamillæ abscindebantur. Ostendunt hoc res gestæ earum, vt Euphemia, Dorothæa, Theclæ, atque Erasme sororum recitatæ a Petro lib. 8. cap. 29. & a veteribus Aquileiensis Ecclesiæ manuscriptis, & duodecim SS. matronarum, quarum nomina ignorantur, a Surio ex Metaphr. tom. 4. sub S. Procopij inscriptione,

De SS. mulieribus, quibus mamillæ abscissæ sunt.

Theodosiæ virginis a Rom. Martyrolog. 4. Non. April. Encratidis ab auctore Thesauri concionatorû, Calliopæ a Surio tom. 3. Febronix virginis a Mombrizio tom. 1. atque ab alijs; Epiphaniæ a Rom. Martyrol. 4. Id. Iulij, Barbaræ & Iulianæ a Mombrizio tom. 1. & a Surio tom. 6. Anastasiæ Maioris a nobis in histor. SS. virginum Rom. Agathæ a veteribus nostræ bibliothecæ codicibus manu exaratis, & a Surio tom. 1. & demum Helconidis a Græcorum Menologio 5. Kal. Iunij ad hunc modum:

S. Helconidis martyrium.

Eodem die S. martyr Helconidis. hæc fuit, Gordiano Imperatore, ex vrbe Theffalia: detenta vero ad Perennium Corinthi Præsidentem ducta, idolis immolare passa non est; sed Christum ipsum prædicans, primum alligata est pedibus iugo bouum, & prostrata soluto plumbo & pice illæsa exijt; postea raso capite, igne tota perfusa est: tum inde dimissa, ingressa in templum idolorum, simulacrum Palladis, Iouis, & Aesculapij, precibus in terra prostravit. Ad hæc, sectis mammis, cum Iustinus Proconsul successisset Perennio, ad eum ducta martyr, in caminum ardentis ignis mittitur: sed flamma ipsa illam non attingit, verum multos ex militibus consumpsit. Postea in grabatum æreum ignitum expansa est. Repente vero astiterunt Angeli, qui beatam martyrem incolorem seruarunt. Postremo feris exponitur, quæ illam ne attigerunt quidem, sed viros aliquos interfecerunt. Tunc lata sententia Præsidis, libentissime accipiens, secto capite, migravit in cælum.] hæc Menologium.

Sed veniamus ad alia cruciatuum genera, videlicet, ad decimumquartum, quintum, sextum, septimum, & octauum, quibus vel martyribus dentes euellebantur, linguæve excidebantur, aut manus, & pedes, vel horum alterum amputabantur, vel denique crura frangebantur.

Martyribus dentes euellebantur.

De martyribus, quibus euulsi fuerunt dentes.
Huius cruciatus testimonium dant Acta SS. virginum Apolloniæ ab Eusebio ex Dionysio relata histor. lib. 6. cap. 30. & a Nicephoro lib. 8. cap. pariter 30. Anastasiæ Maioris a nobis in histor. SS. virginum Rom. & Febronix, de qua supra fecimus mentio-

mentionem. Scribit de his omnibus Martyrologium Rom. varijs in locis; de Apollonia 5. Id. Februarij, de Anastasia 5. Kal. Nouembris, & de Febronia 7. Kal. Iulij.

De martyribus, quibus lingua excisa fuit.

Christianorum huiusmodi supplicio affectorum fidem faciunt Acta similiter SS. virginum Anastasiæ, & Febroniæ, itemq. res gestæ aliorum vtriusque sexus martyrum, vt Romani a Momb. tom. 1. Christianæ virginis a veteribus nostræ bibliothecæ manuscriptis, & a Momb. tom. 1. Terentiani a Petro lib. 7. cap. 136. Florentij, atque Hilarij ab eodem auctore lib. 8. cap. 124. & SS. Agathocliæ, Basilissæ & Anastasiæ a Menologio: Agathocliæ, quintodecimo Kal. Octobris sic:

Natalis sanctæ martyris Agathocliæ seruæ. Sancta martyr Agathoclia serua Nicolai cuiusdam Christiani hominis, & Paulinæ vxoris, cum esset Christiana, & Deum timeret, quotidie cruciatur ab hera infideli muliere idolorum cultrice, quæ Agathocliam octo annis asperis lapidibus verberabat in vertice, eamq. nudis pedibus ambulare cogebat in hyeme & frigore ad ligna colligenda, per totos octo annos studens illi persuadere, vt adoraret idola: quod cum omnino recusaret, laniata est; & excisa lingua, in carcerem coniecta, fame affligebatur: postremo iniecto in collum igne, præsentem vitam cum æterna commutauit.] De alijs duabus 17. Kalendas Maij in hunc modum:

Natalis sanctarum Basilissæ, & Anastasiæ, quæ cum essent ex magna vrbe Roma, genere & diuitijs illustres, discipulæ sanctorum Apostolorum, illis martyrio coronatis, cum eorum sanctas reliquias nocte sublatas curauissent, delatæ sunt Imperatori Neroni: itaque in carcerem coniectæ, & paulo posteductæ, cum in Christi confessione se permanere professæ essent, suspensæ sunt, mammisque, manibus, pedibusque, & linguis excisis, capite obruncatæ sunt.] hæc Menologium.

Martyribus lingua excidebatur.

Agathoclie martyrium.

Basilissæ & Anastasiæ martyrium.

De martyribus, quibus manus, vel pedes truncabantur, aut crura confringebantur.

Sanctis martyribus manus, vel pedes amputabatur, eisdemque crura confringebantur.

His tribus sanctorum Christianorum cruciatibus testimonio sunt res gestæ Quirini relatæ a nobis in histor. SS. virginum Rom. & trigintaseptem martyrum, & Seueri, ac Memnonis a Martyrologio, & Menolog. 13. Kal. Septemb. item Theodori, Oceani, Ammiani, & Iuliani ab iisdem libris pridie Non. Septemb. Charitinæ virg. a Lipomano lib. 6. a Sur. 5. ex Metaphr. Galationis, eiusq. vxoris, Hepistemis, & Hermogenis a Suriô ex Metaphr. tom. 6. Hadriani & sociorum a veteribus nostræ bibliothecæ manuscriptis, & sanctorum quadraginta militum a Rom. Martyrol. 7. Id. Martij.

De modis, quibus martyribus dentes euellbantur, lingua & mamille abscindebantur.

Diuina operante virtute, fiebat interdum, vt martyres, lingua abscissa, optime verba pronunciarent, ac loquerentur. tradunt hæc aliqua ex Actis superius citatis, & ea quæ in notis ad historiam S. virginis Anastasiæ Maioris Romanæ scripsimus. Porro abscindebantur sanctis martyribus lingua, & mamillæ, dentesq. euellbantur, ipsismet stipitibus erectis alligatis. Colligitur hoc ex Actis S. Febronix virginis a nobis paulo superius relatis.

Quomodo SS. martyribus lingua, mamilleq. absinderentur, & dentes euellerentur.

Quomodo SS. martyribus pedes scinderentur, cruraq. confringerentur.

Præcidebantur Christianis martyribus manus, & pedes (vt Acta S. Febronix, & B. Oceani & sociorum testificantur) hoc modo. Collocabatur primum super aliquod ligni frustulum, vel tabulam ligneam membrum præcidendum: deinde dolenabat carnifex brachium cum securi; quod postea continuo demittens, illud percutiebat, sicq. abscindebat. Crurifragium vero fiebat

fiabat ita: Incus parabatur vnâ cum vecte ferreo: postea iue-
batur miseris, siue Christianis pro Christe fide ad mortem dam-
natis, tibias super incudem imponere, quas carnifex inhumana-
nus vecte validis ictibus perfringebat. Scribunt hæc S. Hadriani
martyris res gestæ, quarum nuper ipsi meminimus. De hoc
eodem supplicio, sicuti etiam de lumbifragio, mentionem facit
ex scriptoribus antiquis Plautus in Pen. dum ait: Ex syncerasto
crurifragium fecit.] & Apuleius lib. 9. sic: Tunc vxor egregia
diras in eum deuotiones deprecata, & crurifragium eius abomi-
nata, ex angui formidine trepidantem adulterum abscondit.]
de eadem etiam pœna pluribus Polybius histor. lib. 1.

Sententia quorundam de crurifragio examinatur.

Opinantur quidam, crurifragij tormento tunc aliquem affe-
ctum fuisse, cum eidem cruci affixo crura suffringerentur. Sed
si verum fateri velimus, falluntur hi: nam crura in crucem acto-
rum frangere, vt sic citius ex hac vita migrarent, Iudæis dum-
taxat (veluti supra cap. 1. ex Deuteron. ostendimus) vsui erat,
non Gentilibus: hi enim (vt ibidem etiam ex Valerio Maximo
ostendimus) corpora cruci affixorum, in ea, donec putrescerent,
permanere sinebant. tradit hoc quoque Plautus Milit. glor.
actu 2. scen. 4. dum in persona cuiusdam serui loquens, dixit:
Noli minitari, scio erucem futuram mihi sepulcrum.] & Horat.
lib. 1. epist. ad Curtium:

Non hominem occidi, non pasces in eruce coruos.]

Ex his itaque iam optime liquet, non deposuisse Gentiles de
patibulis, Iudaico more, corpora illorum, quos cruci affigi fe-
cerant, sed potius quoad putrescerent, ibidem permanere permi-
sisse. Et hæc de his.

Pergamus modo probare reliqua suppliciorum genera, & pri-
mum decimumnonum, vigesimum, & vigesimumprimum,
quibus vel inter manuum vngues & carnem sanctis martyribus
acuti calami fuerunt infixi, aut pellis detracta, vel sude præ-
acuta transfossi.

Sermo fit de his cruciamentis in varijs passionibus Sancto-
rum, speciatim Bartholomæi Apostoli a Romano Martyrolog.
recitatis.

*Gentiles corpora
in crucem acto-
rum, in ea vsque
dum putrescerent
permanere facien-
bant.*

** Sude etiam fer-
rea, de quibus in
vita S. Quimmi
apud Sur. tom. 5.
fit mentio, inter
martyrii instru-
menta connume-
randæ veniunt,
quæ alio nomine
Tarinche dictæ
leguntur. decla-
ratur hoc optime
in Notis ad Rom.
Martyrologium
in mensẽ De-
cembris ex varia
Actuum SS. Vi-
ctorici & Pu-
sigeni martyrum
lectione.*

recitatis octauo Kalend. Septembris; item Glicerix virginis a nobis in histor. SS. virg. Rom. Gregorij Armenij a Surio ex Metaphraſte tom. 5. Tharaci a veteribus noſtræ bibliothecæ codicibus manuſcriptis, Zenonis a Menologio Nonis April. & permultorum aliorum, quorum & nomina & numerum ſolus Deus nouit, a Theodoreto lib. 5. cap. 39. item Metrani a Dionyſio Alexandrino Epifcopo apud Eufebium histor. lib. 6. cap. 30. & Nicephorum lib. 5. cap. pariter 30. Galationis & Epiftemis a Surio (vt diximus) ex Metaphr. tom. 6. Bonifacij a veteribus manuſcriptis cum noſtris, tum aliorum, & a Lipom. tom. 5. a Surio 3. Benjamin diaconi a Theodoreto lib. 5. cap. 39. plurimorum itidem martyrum a Rom. Martyrologio Nonis Februarij, & Iſchyronis ab eodem Martyrologio 11. Kal. Ianuarij, & ab Eufebio historiæ lib. 6. cap. 34.

De martyribus verubus tranſfixis.

Verum SS. Chriſti martyres non ſolum ſude lignea præacuta, de qua hoc loco verba fecimus, tranſoſſi narrantur, ſed etiam verubus ferreis. declarat hoc (vt S. Quintini martyris reſ geſtas omittamus) Sozomenus lib. 5. cap. 8. ſic dicens:

Gazæ populus, Iuliano Apoſtata imperante, Eufebium, Neſtabum, & Zenonem, Chriſtianos eo tempore odio proſecutus, domi occultatos cõprehendit, ac primum conijcit in carcerem, flagrisque cædit. Deinde omnes ad theatrum conuenire, & contra eos grauiter propterea vociferari cõperunt, quod ſacra ipſorum antea profanaffent, eiſdemq. ad religionem Gentilium delendâ, afficiendamq. contumelia ſuperioribus tẽporibus abuſi fuiſſent. Qui partim clamando, partim ſe inuicem incitando, ira accenſi in eorum necẽ auide feruntur. Atque ipſi ſe mutuo inſtigantes (quod a populo in ſeditione fieri ſolebat) ad carcerẽ concurrare: eoſq. inde deductos, modo pronos, modo ſupinos trahere, interdũ ad terram allidere, iam cædere, alij ſaxis, lignis alij, alij alijs rebus fortuitu oblatis, ſicq. crudeliſſime interfece-
runt. Accepi etiam, mulieres e textrinis egreſſas, radijs illos confodiſſe. Quinetiam coqui in foro pars lebêtes aqua feruenti
ebul-

*Gazæ totus po-
pulus inſanit in
Chriſtianos.*

*Mulieres & co-
qui carniſices
ſanctorum mar-
tyrum.*

ebullientes a focis arripere, inq. illis effundere, pars verubus transfigere. Vt vero eos discerpserant, & capita ita confregerant, vt cerebrum in terram efflueret: extra urbem deducunt ad locum, in quo animalia expertia rationis mortua proijci solent.] haecenus ille. Et de martyribus tarinchis, sudeq. ferrea praecuta, seu verubus (quod idem omnino est, vt S. Quintini martyris Acta * aperte indicant) transfixis, satis superq. dictum existimo.

Martyres verubus transfigebantur.

Agamus nunc (vt enumeratis paulo ante cruciatuum generibus finem faciamus) de modis, quibus pellis martyribus detrahebatur, ac deinde de Catholicis nostrae aetatis, sub quorum unguibus acus ab haereticis infiguntur.

* *Apud Surium tom. 5.*

Martyribus, integra mente, ceterisq. sensibus, pellis plerumque totius corporis detrahi solebat, aliquando alicuius partis dumtaxat, vt dorsi, vultus, vel capitis, in quod accensi carbones nonnumquam immittebantur. Lege pro horum confirmatione Acta superius citata.

Martyribus pellis detrahebatur, & quomodo.

De Orthodoxis vero ab haereticis acubus sub unguibus excruciatu scribit auctor Concertationis Anglicanae in Alexandro Brianto ad hunc modum: Cum duorum dierum spatium in turri Alexander degisset, ab arcis Praefecto, Doctore Hammono & Nortono euocatus est, qui illum more suo exagitarunt, iusiurandum proponentes, quo ad omnia illum respondere cogant. Cumq. fateri nollet, quorum esset opera sustentatus, vbi rem diuinam peregisset, & quorum excepisset confessiones, acus sub unguibus eius infigi demandarunt: quo tantum abfuit vt de constantia animi deturbari potuerit, vt hilari etiam vultu psalmum, Miserere mei Deus, recitaret, & obnixè Deum, vt suis tortoribus ignosceret, deprecaretur.] haec ibi.

Catholicis sub unguibus acus ab haereticis infiguntur.

Sed prosequamur alia cruciatuum genera, nempe secundum & vigesimum, quo martyres ex altissimis locis praecipites datos esse diximus. Fuisse martyres hoc supplicio affectos, eorum Acta confirmant, nimirum Clementis Ancyranus a Surio ex Metaphr. recitata tom. 1. Felicitatis & filiorum a Mombro. tom. 1. & Venantij a veteribus nostrae bibliothecae, Camerinensisq. Ecclesiae manuscriptis.

Martyres praecipitabantur.

Scribit Tacitus lib. 2. Lucium Pituanium magnum saxo Tarpeio

*Saxus Tarpeius,
& robur quid
sint.*

*Christiani a Gē-
tilibus et magi
habebantur.*

peio deiectum fuisse. Et Apuleius in ea oratione, qua magiæ crimen a se alienū defendit, hæc ait: O mirum commentum, o subtilitas digna carcere & robore.] Dicebatur saxus Tarpeius, & robur, locus ille, ex quo præcipitabantur noxij. Cum igitur iam liqueat, magos e robore præcipientes datos fuisse; quis dubitet, Christianos, qui a Gentilibus magi credebantur, huiusmodi supplicij genere, martyrij corona ab ipsis donatos fuisse?

Si plura adhuc de his cognoscere quæris, lege Notas in Roman. Martyrologium ad mensem Martij, & insuper annotationes nostras in sanctæ Glyceriæ Romanæ virginis historiam. Et de his ista sufficiant. Veniamus deinceps ad alia cruciamenta sanctorum.

De tertio & vigesimo, ac sequenti suppliciorum generibus.

Martyres raptabantur, & sepissime etiam feris obijciebantur.

Duobus hisce cruciatibus, quibus beatissimi gloriosissimiq. Christi martyres vel diuersimode affecti raptabantur, vel feris diuersorum generum obijciebantur, testimonio sunt quamplurimæ sanctorum res gestæ, vt Philemonis & Apollonij a Metaphr. descriptæ Lipom. 5. & Surij 6. sub sanctorum Thyrsi ac sociorū titulo; Cointhæ, alias Quintæ, a Dionysio apud Eusebium histor. lib. 6. cap. 30. & Nicephorum lib. 5. cap. itidem 30. Eucratidis supra a Frugillo in suo concionatorum Thesauro, Martij Euangelistæ a Rom. Martyrol. 7. Kal. Maij, & a Nicephoro lib. 2. cap. 43. Hippolyti a veteribus manuscriptis, & a Surio sub S. Laurentij nomine tom. 4. Onesiphori Apostolorum discipuli a Rom. Martyrol. octauo Id. Septemb. Elpidij & sociorum ab eodem lib. octauo Kal. Decemb. Felicis ab Adone; Pontiani, cuius supra facta est mentio: item Neophyti a Menologio 13. Kal. Februarij, Tryphenis a Rom. Martyrologio pridie Kal. Februarij, Ignatij a Metaphr. apud Surium tom. 1. Siluani ab Eusebio histor. lib. 9. cap. 6. & a Nicephoro lib. 7. cap. 16. Prisci & sociorum ab iisdem, a Nicephoro lib. 6. cap. 11. & ab Eusebio lib. 7. cap. etiam 11. Martianæ virginis a Rom. Martyrol. 4. Id. Iulij, Florelli a Momb. tom. 1. & a Petro lib. 8. cap. 92. Mamantis a Surio ex Metaphr. tom. 4. Benigni a Surio tom. 6. Euphemie

phemiæ a Momb. tom. 1. & a Petro lib. 8. cap. 48. Dariæ virg. a nobis in historia SS. virg. Rom. Blandinæ ab Eusebio lib. 5. cap. 3. & innumerabilium sanctorum sub Nerone martyrio coronatorum, a Rom. Martyrol. 8. Kal. Iunij, & denique Germanici martyris ab Eusebio lib. 4. cap. 14. & ab eodem Martyrol. 14. Kal. Februarij.

Modus, quo martyres raptabantur.

Trahebantur nonnumquam martyres (vt ex illorum Actis, quæ supra retulimus, colligitur) per loca aspera atque saxosa, vel tribulis carduisq. confita, collo aut caudis indomitorum equorum, vel funiculis perforatis eorum calcaneis immiffis.

De Catholicis autem ab hæreticis nostri temporis miserandum in modum per vrbes raptatis multa habes in Theatro crudelitatum hæreticorū, in Sandero de schismate Anglicano, & in libello de persecutione Anglicana. Inuenies præsertim in Theatro, viduam quamdam venerabilem sexagenariam, apud urbem Monsbrunum, crinibus ligno intortis alligatam, crudelissime per plateas illius ab Huguenotis in contemptum religionis Catholicæ tractam fuisse. Et hæc satis.

De martyribus ad bestias damnatis.

Extitit præterea antiquis temporibus in more maiorū, vt rei, vel etiam Christiani ad bestias damnarētur. Meminit huius supplicij Asinius Pollio epist. 32. lib. 10. Aulus Gellius lib. 5. c. 14. Apuleius lib. 6. Athenæus lib. 3. Iosephus lib. 15. antiquit. Iudaic. cap. 11. & demum Acta sanctorum martyrum paulo superius citata: quibus plane, sicuti & Suetonio in Domitiano c. 10. monemur, non tantum leonibus, sed & canibus aliquando fuisse obiectos, licet leonibus frequentius. docent hæc, non solum Androclis historia relata ab Aeliano lib. 7. de animal. cap. vlt. & res gestæ sancti Ignatij martyris apud Eusebium lib. 3. histor. Eccl. cap. 34. & Hieronymum lib. de vir. illustrib. sed etiam vulgaris populi Romani in Christianos acclamatio: testatur enim

ibuloni

D d

sæpissi.

sapissime Tertullianus in apolog. & cap. 39. populum Romanū crebro acclamasse; Christianos ad leonem. Si Tiberis ascendit, ait, in moenia; si Nilus non ascendit in arua; si cælū stetit, si terra mouit, si fames, si lues: statim, Christianos ad leonem, acclamatur; tantos ad vnum.] & cap. vit. eiusdem lib. Nam & proxime ad leonem clamādo Christianam, potius quam ad leonem, confessi estis labem pudicitiae apud nos atrociolem omni poena & omni morte reputari.] Idem lib. de spectaculis: Et qui insigniori cuique homicidæ leonem poscit, item gladiatori atroci petat.] & in exhortatione ad castitatem: Ne non sint, qui exclament; Christianos ad bestias.] apud Lampridium etiā in Commodo, in Senatus acclamationibus, hæ voces inueniuntur: Delatores ad leonem.]

At fuisse Christianos hisce animalium generibus, alijsq. etiam frequenter, vt deuorarētur, discerperenturque, obiectos, docent eorundem res gestæ, & Tertullianus locis nuper citatis. nec mirum: nam (sicuti ex l. 1. colligitur, ff. de bon. damnator. & l. 3. ff. ad leg. Cornel. de ficar. atque ex Ulpiano l. eius qui. §. 1. & s. seq. ff. qui testam. fac. pos.) seruile supplicium erat; seruis enim dumtaxat, vilioribusq. personis irrogari solebat: cumq. Christi fideles apud Gentiles talis essent æstimationis (vt pluribus Tertullianus tradit in apologet.) mirandum profecto non est, si sapissime eos feris obiectos fuisse, inueniatur.

*Quale supplicium
bestijs obijci.*

Modi, quibus martyres feris obijciebantur.

Non vno eodemq. modo feris sancti martyres obijciebantur: siquidem aliquando vestibus denudati, in medijs theatris, alijsve locis, in quibus morabantur, includi solebāt; quandoque (vt Eusebius scribit lib. 5. histor. Eccles. cap. 1.) stipitibus ligati, vel retibus inuoluti, aut ferarum pellibus induti; aut denique pedibus, perforatis lapidibus, liquefacto plumbo insertis, & candentibus subulis in manuum digitis per longum defixis, canum laniatibus custodijs conclusi tradebantur. Testantur hæc Acta sancti Benigni martyris supra citata ad hunc modum:

His verbis commotus iniquissimus Imperator, in carcerem eū
includi

includi præcepit, & grande saxum, idemq. perforatum adduci, atque illi pedes eius plumbo liquefacto inseri, & in digitos manuum eius calentes subulas in longum defigi, atque per sex dies nullum ei nec cibum, nec potum præberi: porro etiam includi cū eo duodecim canes sæuissimos, fame & siti affectos, vt ab illis discerperetur: carcerem quoque custodiri a militibus. Itaque subulas acutissimas in manus eius infixerunt, & in lapide plumbo liquefacto, vel remisso, pedes eius incluserunt, canesq. ferocissimos cū illo in carcere incluserunt.] & paulo post: O miram Dei virtutem, o paternum Iesu Christi amorem in suos: Angelo ei auxilium præbente, canes mansuefacti sunt, ita vt nec pilum capitis, nec fimbriam vestimenti attingerēt.] & quæ sequuntur.

Amplius, audiamus modo Eusebium loco dudum citato, & lib. 8. cap. 7. de Christianis feris obiectis ita loquentem:

Matūrus ergo, Sanctus, Blandina, & Attalus, die cum bestijs dimicandi in nostrorum hominum cruciatum de industria præstita, ad bestias ducebantur, quo publicum & commune Gentilibus spectaculum plenum inhumanitatis & sæuitiæ exhiberent. Atque Matūrus & Sanctus in amphitheatro omne genus tormentorum denuo subeunt.] & paulo post: Sustinent hi sancti viri tum crudeles ferarum tractus, tum alia omnia cruciamentorum genera.] & paucis interpositis: At Blandina trabi lignæ sublimis affixa, præda bestijs incurfantibus obijcitur: quæ quoniam & in crucis specie suspensa cernebatur, & ardenter preces fundebat, magnam concertantium mentibus alacritatem iniecit: quippe in ipso certamine, ex sorore cruci suffixa, ipsum Christum, qui pro nobis crucifixus est, oculis corporeis quodammodo videbant.] & post: At cum nulla bestia eius carnem tangere vellet; a trabe mox arrepta, in carcerem iterum truditur.] Et eodem cap. de Alexandro medico & martyre hæc subdit:

Populi multitudo contra Alexandrum vociferari cœpit. Vbi Præses instabat, sciscitabaturq. quisnam ille esset; respondit, se Christianum esse. Vnde Præses ad iracundiam prouocatus, illum condemnat ad bestias. Postero autem die eandem cum Attalo dimicationem (Præses enim, quo populo gratificaretur,

S. Benigni crudele martyrium.

Subula ferrea martyrij instrumentum; a quibus non multum opinor, distabat, quæ a Iosepho lib. de Machab. succensoria nuncupatur; namque ait esse tenuia ferri tela ad incendendum martyrem comparata.

S. Blandina cruci affixa a feris non sanguitur.

Attalum denuo bestijs condemnat) Alexander ingreditur: Hi duo in amphitheatro, &c.] Nec multo post adiecit idem auctor: Beata Blandina omnium postrema, tamquam nobilis & generosa mater, vbi liberos animauerat ad poenam, & victores ad Christum Regem praemisera, ipsa eisdem cum liberis certaminum cursus remensa, ad eosdem laetitia gestiens, ac de ipso vitae suae exitu permagno gaudio exultans properabat, non quasi ad bestias crudeliter proiecta, sed ad coenam sponsi amice inuitata. Atque post verbera, post bestiarum laniatus, post sartaginis exustionem, ad extremum in rete inuoluta, tauri rictibus obiectatur. Quae cum ab animali illo diu multumq. iccta exagitataq. fuisset, ac nullum sensum cruciamentorum, quae haecenus ei obtigissent, partim propter spem qua Dei promissis firme adhaescebat, partim propter colloquia quae intra se cum Christo conferebat, omnino haberet, tandem ense iugulata fuit.] Et lib. 8. cap. 7. Quosdam enim ex illis in Palaestina propter patientem tormentorum perpeffionem claruisse scimus: alios Tyri Phoeniciae magnam laudem collegisse: quos quidem quis est qui non supra modum miratus fuerit, cum oculis cerneret innumerabiles plagas, dimicationem cum bestijs voracibus, inq. ea pardorum, vrsorum immanium, aprorum agrestium, taurorum denique igne & ferro ad rabiem acriter incitatorum impetus, & eximiam generosorum martyru contra cuiusque bestiae icctum tolerantiam? Quibus quidem rebus, dum gerebantur, ipsi interfuimus: diuinamq. potentiam Seruatoris nostri, ipsiusq. Iesu Christi, cui illi in cruciatu praclarum testimonium perhibebant, id temporis praesto martyribus opem tulisse, & euidenter se ipsam eis ostendisse animaduertimus. Nam belluae illae rapaces, longo temporis spatio, neque sanctorum corpora attrectare, neque ad ea prope accedere audebant: sed in infideles, qui extra repagula, alius aliunde, incitatione quadam eas in martyres instigarunt, impetu ferebantur. Et quamquam sancti Dei athletae nudi consistebant in medio, manibusq. ea prouocabant, & in se pertrahere conabantur (hoc enim vt agerent, illis erat imperatum) illos tamen solos non omnino attigerunt: verum interdum, dum

S. Blandina inuicti animi mulier feris obiecta tauri cornibus iactatur.

Christiani feris obiecti.

Bestia infideles adorantur.

dum in eos irruerant, tamquam diuiniore quadam vi ac virtute fuerunt repulsa, & retro denuo quam mox resilierunt. Quod cum diu fieri cerneretur, non exiguam infidelibus spectantibus excitauit admirationem: vsque adeo, vt prima bestia frustra incurfante, secundam, & tertiam in vnum eundemq. martyrem dimitterent.

Interea non modo virilem & intrepidam sanctorum illorum animi tolerantiam, sed firmam etiam atque inflexibilem in teneris corporibus constantiam cum stupore quodam mirari licebat. Vidisses enim adolescentulum non viginti annos integros natum, nullis constrictum vinculis, firme consistentem, manibus in crucis modum e transuerso expansis, robusta & excelsa mente in precibus ad Dei numen fundendis attentissime defixum, neque omnino se commouentem, neque in hanc vel illam partem de loco, in quo steterat, deflectentem: idq. cum vrsi & pardii furorem & mortem in eum exhalarent, cumq. iam eius carnem dentibus lacerare aggredierentur: Quorum ora, diuina quadam & inexplicabili potentia, nescio quo pacto fuere proprie obturata, & iterum ipsi retro properere recurrerunt. Sed de isto hoc modo.

*Martyrum feris
obiecatorum mira
constantia.*

Alios rursus cernere potuisses (omnes enim simul quinque erant) aegre & immani tauro obiectatos: qui nonnullos ex infidelibus propius aduentantes, cornibus in aerem coniecit, eosq. discerpit misere, & femiuuos hominum manibus inde auferendos reliquit: Verum ad sanctos martyres solos, dum furore & rabie exardescens in eos irrumpere conabatur, ne appropinquare quidem poterat: & tametsi pedibus atque cornibus huc illucq. vibratis insultabat, & cauteriorum incitamentis laceffitus contra illos terrorem spirabat, tamen retrogrado cursu diuina sacri numinis prouidentia repulsus fuit; vsque eo, vt cum iste illos neutiquam lassisset, alias belluas in eos immitterent. Ad extremum, post graues & varias illarum etiam incurfiones, ense obruncati fuere, & marinis fluctibus sepulcrorum loco mandati.] hucusque Eusebius, qui alijs etiam locis de Christi fidelibus bestijs obiectis pluribus agit.

Ceterum fuisse martyres canum lacerationibus a Gentilibus

bus

bus traditos pellibus ferarum indutos, ostendit (vt nostros mittamus) Cornelius Tacitus Ethnicus scriptor annalium lib. 15. ita dicens: Ergo abolendo rumori Nero subdidit reos, & exquisitissimis poenis affecit, quos per flagitia inuisos, vulgus Christianos appellabat. Auctor nominis eius Christus, qui, Tiberio imperitante, per procuratorem Pōtium Pilatum supplicio affectus erat. Repressaq. in præsens exitiabilis superstitione, rursus erumpebat, non modo per Iudæam, originem eius mali, sed per urbem etiam, quo cuncta vndique atrocitas, aut pudenda confluunt, celebranturque. Igitur primo correpti qui fatebatur, deinde indicio eorū, multitudo ingens, haud perinde in crimine incendij, quam humani generis odio conuicti sunt. Et pereūtibus addita ludibria, vt ferarum tergis contesti, laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi, atque vbi defecisset dies, in vsum nocturni luminis vrentur.] hæc ille. De his sanctis quoque eadem ferme habet Martyrologium Rom. VIII. Kal. Iulij, dum de pluribus Christianis sub Nerone martyrio coronatis sermonem facit.

Legimus præterea in Eusebio histor. Eccles. lib. 8. c. 22. & in Actis sanctorum martyrum, speciatim Marcelli Papæ, fuisse Episcopos, Maxentio imperante, ad maximam eorum contumeliã, curæ iumentorum ascriptos: in rebus quippe gestis Marcelli Romani Episcopi huiusmodi verba habentur: Hic coarctatus, & tentus est, eo quod Ecclesiam ordinaret: & comprehensus a Maxentio, vt negaret se esse Episcopum, & sacrificijs se humiliaret dæmoniorum: qui semper contemnens & deridens præcepta Maxentij, damnatus est in catabulum] id est (vt innunt ea, quæ de ipsomet scribit Rom. Martyrologium 17. Kal. Februarij) in stabulum iumentorum; vel (quod idem est) ad alendos (vt Eusebius ait loco nuper citato) equos, & camelos Imperatoris, qui publicæ vtilitati ad vehenda onera inferuiebant. Si adhuc alia quæris, vide Notas ad Rom. Martyrologium in mensem Ianuarij, & Acta sanctorum Indes & Domnæ a Metaphr. descripta apud Surium tom. 6. itemq. Theodoretum hist. suæ Eccles. lib. 5. cap. 38. ibi enim de sancto Hormisdâ martyre Persa loquens hæc ait:

Hormisdam quemdam, virum in Persis apprime nobilem, ex genere Achemenidarū oriundum, patre Præfecto, cum Rex scilicet

Episcopi iumentorum curæ ascribentur.

licet Perfarum Goraranes Isdigerdis filius, cum Christianum esse accepisset, ad se adduci, & Deum seruatorem pernegare iubet. At Hormisda: Quod imperas, o Rex, neque iustum est, inquit, neque vtile: nam quicumque didicerit Deum omnium gubernatorem facile contemnere, eumque denegare, multo facilius Regem, quippe cum homo sit, mortalis naturæ particeps, contempturus est.] & post: Rex autem, quem oportuerat sapientissimam eius orationem admiratum esse, athletam generosum diuitijs & honore spoliavit, deditq. ei mandatum, vt omnibus vestibus, solo subligaculo excepto, exutus, camelos, qui erant in exercitu, duceret. Cum vero dies complures præterissent, Rexq. e tabulato despiciens, videret optimum illum virum & radijs solis exustū, & conspersum vndique puluere; nobilitate ac splendore illius in memoriam reuocato, primum iubet eum adduci ad se, & indusio linteo vestiri. Deinde arbitratus eius animum partim cruciatu præterito, partim humanitate erga eum iam declarata mollitum esse: Nunc demum, inquit, obstinatione deposita, filium fabri negato. At ille diuino zelo accensus, indusium dilaceravit, eoq. ad Regem proiecto, sic eum affatur: Si me huius causa pietatem deserturum putas, habeas tibi donum cum impietate.] & quæ sequuntur. Meminit consimilis pœnæ generis Victor lib. 5. de persecut. Vuandal. dum loquens de Armagasto nobilissimo Christi martyre, inquit: Tunc Theodoricus in Byzacenam prouinciam ad fodiendas eum condemnat serobes. Postea, quasi ad maius opprobrium, haud procul Carthagine, vbi ab omnibus videretur, pastorem eum præcipit esse vaccarum.] hæc ibi. At nunc ad alia.

Hormisda gloriosa confesso & inuicta constantia.

Camelorum curæ ascriptus S. martyr Hormisda.

Armagastus Comes Christi confessor vaccarum pastor efficitur a Vuandalis Arianis.

De martyribus Christianis obiectis vel muribus, vt abroderentur, vel equitibus, vt eorum corpora ab ipsis obtererentur.

Muribus tradebantur Christiani a Gorarane Perfarum crudelissimo, vt de ipsis tradit Theodoretus histor. lib. 5. cap. 38. his verbis: Quinetiam lacus effodere; eos, id est, Christianos, summa cum diligentia inungere, deinde ingentem foricum numerum in eos concludere: postremo pietatis athletas, eorum manibus

Christiani foricibus rodendi tradebantur.

Immanis crucia-
1665.

Catholici divi
valde modis ab
hereticis vexan-
tur.

Catholici nostri
temporis ab he-
reticis ferarum
pellibus insui
morsibus rabi-
dissimorum ca-
num obijciuntur.

nibus pedibusq. constrictis, ne bestias abigant, foricibus velut alimentum obijciunt: forices autem fame oppressi, sensim carnes sanctorum absument, sicq. diuturnum & acerbum cruciatum illis afferunt, &c.]

Simile aliqua ex parte huic cruciatus generi, licet immanius, videtur illud, quo nostri tēporis hæretici (vt annotatur in libello, qui Theatrū crudelitatis hæreticorum inscribitur) Catholicos diuexant, atque affligunt; dum videlicet eos resupinos ligantes, nudo eorum ventri pelues inuersas cum viuis gliribus intus inclusis superimponunt; superq. pelues ignes extruunt, vt illis excitati glires, dentibus ventres abrōdant, & in viscera se condant. Hoc tam acerbo, tamq. diro supplicio plurimi ex Catholicis temporibus hisce nostris, ne Orthodoxam fidem desererent, affecti fuerunt: e quorum numero etiam aliqui extitere, qui ad exemplum Christianorum Neronis tempore passorum, ferarum pellibus insui magis voluerunt, & rabidissimorum canum morsibus (Elizabetha impia Angliæ Regina nuncupata sic iubente) obijci, quam nefaria eius imperata exequi, & a vera Christi fide vel minimum deficere atque recedere.

Præterea de Christianis martyribus (quod dilucidandum nobis erat) & præcipue Episcopis, quorum corpora misere impiorum iussu humi prostrata, conculcata, contritaq. ab equis fere, scribit Victor de persecutione Vuandalica lib. 3. inquiens: Post hæc edicta feralia veneno toxicato transfusa, iubet cunctos Episcopos, qui Carthagine fuerant congregati, quorum iam ecclesias, domos, & substantiam ceperat, in hospitij, quibus erant, expoliari, & expoliatos foras muros propelli: non animal, non seruus, non mutanda quæ ferebant vestimenta penitus dimittuntur: addens adhuc, vt nullus quempiam illorū hospitio reciperet, aut alimoniam præstaret: qui autem hoc miserationis causa facere tentasset, cum vniuersa domo sua incendio cremaretur. Sapienter tunc etiam proiecti Episcopi fecerunt, vt licet mendicantes, exinde non abirent; quia si recederent, nō tantum violenter omnino reuocarentur, sed & mentirentur eos, sicuti mentiti sunt, fugisse conflictum; maxime, quia vbi reuertentur, iam nequaquā fuerat, ecclesiis, substantia, vel domibus occupatis.

occupatis. Dum ergo gementes in circuitu murorum, nudo sub aere iacèrent; factum est, vt Rex impius ad piscinas exisset. Cui vniuersi occurrere maluerunt, dicentes: Vt quid taliter affligimur? Pro quibus malis forte commissis ista perpêtimur? Si ad disputationem congregati sumus, quare expoliati? quare traducimur? quare differimur? & sine ecclesijs & domibus nostris foras ciuitatem, fame & nuditate laborâtes, medijs stercoreibus volutamur? Quos ille toruis oculis aspiciens, priusquam suggestionem eorum audisset, iussit super eos cum fessoribus equos dimitti, vt tali violentia possint non solum cõteri, verum etiam necari. quorum tunc multi contriti sunt, & præcipue senes, & infirmi.] hucusque Victor.

Porro hæretici nostri temporis, imitâtes horum exempla, fratrem quemdam, cui Ioannes nomen erat, virum venerabilem ex ordine S. Francisci, Episcopum Dauentriensem paulo ante designatum, quem immanissime vulnerauerant, pluribusq. alijs iniurijs & opprobrijs affecerant, pedibus conculcarunt, & instar pùtridi & abiecti cadaueris in plateis reliquerunt. Idem legimus, Diocletiano Imperatore, sanctis Christi virginibus Maximæ, Secundæ, & Donatillæ accidisse. Et de his iam satis.

Sic scribit Theatrum crudelitatis hæreticorum nostri temporis.

De sexto & vigesimo, ac duobus post sequentibus

SS. martyrum cruciatibus.

De his suppliciorum generibus, quibus martyres in profundas fossas iniecti terra obruebantur, aut in profluentem, vel in puteos, aut in calcis fornacem deturbabantur, sermonem faciunt eorundem res gestæ, speciatim Castulli a Surio relatæ tom. 1. sub S. Sebastiani titulo, Vitalis a Mombratio tom. 2. & a veteribus nostræ bibliothecæ manuscriptis, Marcelli a Surio tom. 5. & a Petro lib. 8. cap. 37. Philemonis & sociorum a Martyrologio, & Menologio 10. Kal. Decemb. Paulinæ ac Dariæ virginum Rom. a nobis in earum historia, Sabini a Metaphr. Lipom. 7. & Suriij 2. Iuliani a Menologio Idibus Martij, Montani & Maximæ a Rom. Martyrologio 7. Kal. Aprilis, & a Petro lib. 3. cap. 233. Cæsarij, & alterius Iuliani ab eodem auctore lib. 10.

E e

cap. 2.

cap. 2. & a Surio tom. 6. Vlpiani a Romano Martyrologio tertio Non. April. Agathopodis, ac Theoduli a Lipom. tom. 7. & a Surio 2. ex Metaphr. Apollonij, ac sociorum a Petro lib. 4. cap. 44. Calisti, & Carisij ab eodem lib. etiam 4. cap. 55. Floriani a Mombritio tom. 1. & a Surio 3. Theoduli, Thecusæ, Alexâdræ, Claudiæ, Fainæ, Euphrasiæ, Matronæ, & Iulittæ virginum a Martyrologio, & Menologio quintodecimo Kal. Iunij; Peregrini, sociorumq. eius a Menologio itidem Nonis Iulij, Symphorosæ a veteribus manuscriptis, & a Petro lib. 6. cap. 111. Hieronidis, Leontij, & aliorum a Menologio prid. Id. Septemb. Calistrati ab eodẽ libro V. Kal. Octobris, & a Metaphr. Lipom. 6. & Surij 5. Clemētis Papæ, & Claudij a nobis in historia SS. virginum Rom. Agapij a Romano Martyrologio 12. Kal. Decemb. Rufinæ & Secundæ sororū a nobis in rebus gestis SS. virg. Rom. Mamantis a Metaphr. apud Surium tom. 4. Hermilli & Stratonici ab eodẽ apud eundem scriptorem tom. pariter 4. Hefychij a Martyrologijs 14. Kal. Decemb. Claudij, Nicostrati, Symphoriani, Castorij, atque Simplicij a Surio tom. 6. Calisti Papæ a veteribus nostræ bibliothecæ manuscriptis, & a Mombrit. tom. 1. & Anthusæ Iunioris a Menologio 16. Kal. Septembr. Flori, & Lauri ab eodem 15. Kal. eiusdem mensis, vbi ista leguntur:

SS. Flori, & Lauri
martyrium.

Natalis SS. martyrum Flori, & Lauri. hi viri sancti erant fratres gemelli, cæsores lapidum, quam artem didicerant a Proclo, & Maximo: postea vero quam eorum magistri pro Christo martyrium perpeffi sunt, relicto Byzantio, venerunt in Illyricam regionem, in urbem Vlpianorum: vbi apud Licionem Præsidentem metalla perferutantes, propriam artem nobiliter exercebant. postremo multos passi cruciatus, a Licione Præsidente in profundum puteum deiecti, Deo ipsi animas commendarunt.] hucusque Menologium.

Martyres in calcis
fornacem suis
se desurbatos
ostenditur.

Iam vero fuisse sanctos martyres in calcis fornacẽ (quod probandum restabat) coniectos, aperiunt S. Clementis Ancyræ Episcopi Acta a Surio ex Metaphr. tom. 1. descripta, & trecentorum martyrum, de quibus Rom. Martyrologium nono Kal. Septembr. in hunc modum scribit:

Carthagine sanctorum trecentorum martyrum tempore Valeriani

leriani, & Gallieni: qui inter alia supplicia, cum Præses fornacem calceariam accendi iussisset, & in præsentia eius prunas cum thure exhiberi, atque illis dixisset: Eligite e duobus vnum; aut thura super his carbonibus offerte Ioui; aut in calcem demergimini: fide armati, Christum Dei Filium confitentes, ictu rapidissimo se iniecerunt in ignem, & inter vapores calcis in pulverem sunt redacti: ex quo, candidatus ille beatorum exercitus, Massa candida meruit appellari.]

Quomodo SS. martyres terra obruerentur.

Sciri hic debet, priusquam sermonem nostrum alio transferamus, Christianos tormentis obnoxios, non semper fuisse toto corpore in profundas fossas, vt terra lapidibusq. obruerentur, iniectos, sed plurimum: legimus namque in Actis nuper citatis sanctorum Philemonis & Marcelli, fuisse eos ob hanc eandem causam vsque ad renes in ipsismet inclusos. percurrere poterit lector, si volet, eorum res gestas.

De modis, quibus ijdem Christi martyres in mare, vel flumina, projiciebantur.

Non vno eodemq. modo, sed varijs in profluentem deiectione leguntur sancti martyres: quandoque ingentibus saxis, aut plumbeis ponderibus ad collum, vel pedes, aut eorum dexteram alligatis, vt Sabino, Agapio, Agathòpodi, Theòdulo, Floriano, Thecusæ, Alexandræ, Claudæ, Fainæ, Euphrasæ, Matronæ, Iulittæ, Symphorosæ, Claudio, Rufinæ, Secundæ, Mamanti, Hesycho, Lucianoq. contigit. Quandoque vero, vel ligatis manibus, ac pedibus, vel retibus inuoluti, aut plumbeis oculis conclusi, vel culeo insuti. Testantur hæc beatorum Faustini & Iouitæ Acta a veteribus manuscriptis relata, & Hermilli, Vlpiani, Stratonici, Nicostrati, Symphoriani, & aliorum.

Monemus hic lectorem, fuisse culeum antiquissimum tormenti genus: eius siquidẽ Plautus (teste Nonio) meminit in Vi-

Culeus quid sit.

dularia his verbis: Iube hunc insui culeo, atque in altum deportari, si vis annonam bonam.] Porro culeus, de quo hic agimus, vter, seu saccus fuit ex corio factus, quo cum cane, gallo, serpente, simia, vel aliquibus saltem horum insutus parricida, præceps, ex legis Romanorum decreto, in mare, seu flumen dabatur. Vnde antiquis temporibus (veluti ex Cicerone cognosci potest lib. 2. de inuent.) huiusmodi lex in parricidas extitisse videtur:

Soleæ lignæ erant compedes.

Hostius post Annibalis bellū primus omnium patrem interfecit.

Publius Malleolus matrem interfecit.

Si quis parentes occiderit, aut verberauerit; ei damnato obuoluitur os folliculo lupino, soleæ lignæ pedibus inducantur, & in carcerem ductus, ibi sit tantisper, dum paretur culeus, in quem coniectus in profluētē præcipitur.] hucusque Cicero. Verum lata fuit lex ista (vt Sigonius docet lib. 2. de iudicijs cap. 31.) ad homines deterrendos, ne L. Hostij exemplo moti, qui primus omnium, post Annibalis bellum, patrem interfecit, suis genitoribus & ipsi, ferro, alijsve modis vitam eriperent. Itaque cum bello Cimbrico anno DCXL. Publicius Malleolus matrem interemisset, hoc cruciatus genere affectus fuit. Scribit hæc Liuius lib. 18. hoc modo: Publius Malleolus, matre interempta, primus omnium insutus culeo, in mare præcipitatus est.] & in Rhetor. ad Herennium: Malleolus iudicatus est matrem necasse: ei damnato, statim folliculo lupino os obuolutum est, dum culeus, in quem coniectus in profluentem deferretur, comparatur.] hæc ibi.

Post hæc tulit Pompeius in parricidas, dum Consulatus dignitate potiretur, eiusmodi legem:

Prætor, qui ex hac lege quæret, de eius capite quærito, qui patrem, matrem, auum, auiam, fratrem, sororem, patruëlem, matruëlem, patruum, auunculum, amitam, materteram, consobrinum, consobrinam, vxorem, virum, generum, socrum, vitricum, nouercam, priuignum, priuignam, patronum, patronam occiderit, cuiusve dolo malo id factum erit, siue conscius fuerit: deq. eius matris capite quærito, quæ filium, filiamve occiderit; & aui eius, qui nepotem occiderit, eiusq. qui emit venenum, vt patri daret, quamuis non potuerit dare. is si confessus erit, virgis sanguineis verberatus, deinde culeo insuatur, cum

De virgis sanguineis. vide infra.

cane

cane, gallo gallinaceo, & vipera, & simia; deinde in mare profundum culeus iactetur.]

*Animalia quæ
in culeo insueban-
tur.*

Meminit huiusce Pompeiæ legis Iustinianus Instit. tit. de pub. iud. §. alia deinde. dum ait: Lege Pompeia de parricidio cauetur, vt si quis parentis, aut filij, aut omnino affinitatis eius, quæ nuncupatione parentū continetur, fata præparauerit, siue clam, siue palam id ausus fuerit, necnon is, cuius dolo malo id factū est, vel conscius criminis extitit, licet extraneus sit, pœna parricidij puniatur; & neque gladio, neque ignibus, neque vlli alij solemnī pœnæ subijciatur; sed insutus culeo, cum cane, gallo gallinaceo, vipera, & simia, & inter eas ferales angustias comprehensus, secundum quod regionis qualitas tulerit, vel in vicinum mare, vel in amnē proijciatur. Si quis autē alias cognatione, vel affinitate coniunctas personas necauerit, pœnam legis Corneliæ de ficarijs sustinebit.]

Ex his itaque iam liquet, illud ipsum culei tormentum a maioribus (veluti Cicero orat. pro Rosc. Amer. indicat) excogitatum fuisse, a Pompeio vero auctum, atque in propinquorum, patronorumq. interfectores extensum. Cicero siquidem loco citato, rationem reddens, cur maiores viuū hominem culeo insutum in flumen deijci præceperint, nullam prorsus mentionē facit de gallo, simia, vipera, & cane, immo nec etiam alijs in locis, quibus de hoc eodem supplicij genere, prout antiquioribus vsui erat, locutus est. auxit igitur illud Pompeius, & non adinuenit.

*Pompeius non
inuentor culei.*

Ceterum an necessarium extiterit, culeo omnia hæc animalia vna cum reo insuere; putamus non fuisse: tum quia non semper horum omnium habetur sermo, cum de culeo lege Pompeia aucto reperitur ab antiquis facta mentio: tum etiam quoniam in Actis SS. martyrum hoc supplicio affectorum, præsertim Vlpiani, non legitur omnia simul cum ipsis in eo inclusa fuisse, sed aliqua dumtaxat. vide Eusebium ipsorum Acta referentem histor. lib. 8. cap. 15.

In culeo non omnia animalia in lege Pompeia de parricid. recensita insuebantur.

Huiusmodi tam immani, tamq. acerbo cruciatu punitus fuit (vt Valerius Max. testatur lib. 1. cap. 1.) Attilius Triumuir, eo quod sacros libros describēdos tradidisset. Et insuper cum iam

*Attilius Triumuir
culei supplicio
dammatus.*

(Paulo

*Culeus licet in
usu amplius non
esset, tamen ad
Christianos ex-
cruciandos iterum
adhibitus fuit.*

(Paulo teste lib. 5. senten. tit. 24. ad l. Pomp. de parricid.) ob nimiam eius atrocitatem amplius vsui non esset; Christianorum tamen aliqui, eo iterum adhibito, martyrij corona donati fuerunt. Si plura de culeo desideras, lege Ciceronem pro Rosc. Amer. Suetonium in Octauio cap. 35. Senec. de clem. lib. 1. cap. 23. & controuerfiarū 7. controuerfia 1. itemq. C. Theodosiani lib. 9. tit. de parricidis, Cuiacium paratitl. lib. 9. tit. 17. Fulgentium de prisco sermone, Isidorum lib. 6. etymol. cap. vlt. Brissonium de verborum significationibus, Sigonium de iudicijs lib. 2. cap. 31. & lib. 3. cap. 17. & Notas in Romanum Martyrologium in mensem Aprilis. In Cuiacio, loco citato, nempe titulo 17. (De his qui parentes vel liberos occiderunt) hæc de culeo narrantur:

*Virge sangui-
nea.*

Arbores infelices.

*Quid paterentur
noxij, priusquam
culeo insueren-
tur.*

*Quomodo duceretur
culei supplicio
afficiendi ad
mare.*

Lex Pompeia de parricidio magis recepta est, tamquam nouissima, & latissima, quæ pro parricidio etiam habet eadem cognatorum ex transuerso, & adfinium, & patronorum, & coniugis. Proprie enim parricidium committitur tantum inter parètes & liberos: quod constitutioni huius tituli magis placet puniri more maiorum, primitus virgis sanguineis cæso parricida, l. pen. ff. ad l. Pomp. de parric. quales virgas licitorū esse apud Plinium legi ex fruticibus sanguineis, qui arboribus infelicibus adnumerantur; vt quemadmodum alij criminosi more maiorum arbori infelici suspenduntur, ita parricidæ ante supplicium cædantur fustibus ex arbore infelici decerptis; deinde insuantur culeo. Iuuenalis corio bouis, Cedrinus *ἄρκου βοείω νεοδαίτω*, cum impijs animalibus impij homines, vt inter sententias Imperatoris Hadriani legi, quæ referunt etiam parricidam insutum culeo cum illis animalibus plaustro iuncto bobus atris in mare deportari, & abijci in profundum. Noua hæc pœna dicitur in Institutionibus, quæ est vetustissima.] & paulo post: Valde notandum est quod Suetonius scribit in Augusto, hoc acerbissimo supplicio nec conuictum etiam manifesti parricidij reum adfici solitum, nisi vltro confiteretur.] Atque hæc quidem de culeo Cuiacius. Nunc ad alia pergamus.

De Chri-

*De Christianis Orthodoxis ab hæreticis in mare, vel flumina
deturbatis, aut terra obrutis.*

Scribit Victor Vticensis Episcopus, fuisse Catholicos in naues fractas, sine velo, atque remigio, ab hæreticis Arianis impositos, & sic vastissimo mari ad certissimum naufragium commisos. Quocirca inquit: Tūc vero memoratæ vrbis Episcopum, id est, Carthaginis, Deo & hominibus manifestum, nomine Quodvultdeus, & maximam turbam clericorum nauibus fractis impositam, nudos atque expoliatos expelli præcepit. Quos Dominus, miseratione bonitatis suæ, prospera nauigatione Neapolim Capaniæ perducere dignatus est ciuitatem. Senatorum atque honoratorum multitudinem primo exilio crudeli contriuit.] ita Victor de persecutione Vuandalica lib. 1.

*SS. martyres in
naues fractas si-
ne velo remigioq.
impositi, maris
discrimini comi-
tebantur.*

Atqui non modo ab antiquis hæreticis cōperimus fuisse Catholicos in aquas coniectos, sed ab his recentibus etiam. Attestatur hoc Theatrum crudelitatis hæreticorum nostri temporis his verbis:

Cum urbem Flandriæ Audenardam Geusij stratagemate occupassent; sacerdotes omnes eiusdem prouinciæ virtute & doctrina celebres corripuerant, & in castellum adduxerant: hos inter, magistrum Petrum, virum venerabilem, & qui ætate omnes antecedebat, post illata ei varia opprobria & contumelias, vestibis spoliatum, pedibus manibusque in dorsum colligatis, per fenestras in fluuium præcipitem dederunt. Orabat is, dum caderet, alacri animo & constanti: Fiat voluntas tua, Domine.] Et mox:

Eodem modo subsequenter præcipitati sunt, venerabilis Ioannes Paulus, & reliqui; e quorum numero magister Iacobus prouectissimæ ætatis, & debilis, nec natandi peritus, sublatus vndis non longe ab eo loco, ereptus est, & vitam habuit incolumem.] & non multo post: Vrsula Talefia in Beguinagio Harlemiensi religiosa virgo, post patrem grandæuum, eius ciuitatis magistratum gerentem, pluresq. alios cum eo Catholicos magni nominis viros laqueis suffocatos, sub patibulum perducta est, & rogata

*Vrsule virginis
nostre ætatis cō-
stantia atque
martyrium.*

num

num fidem, Orthodoxamq. religionem desereret, & militi cui-
dam nuberet: quod cum constantissime negaret, illico in aquas
proiecta est, & submersa.] Et post:

Hoc vnum etiam aduertes, hæreticos ciuitatis Neumasij in
Linguedoca sitæ, ingentem Catholicorum multitudinem pu-
gionibus trucidatam, & semimortuam in eiusdem vrbis puteum
satis amplum atque profundum submersisse, & eundem duabus
vicibus compleuisse.] & hæc quidem liber Crudelitatum hæ-
reticorum nostri temporis.

De Catholicis autem terra obrütis hæc idem scriptis manda-
uit: Huguenoti presbyterü quemdam, Petrum nomine, ex pa-
rœcia Beauliensi, capite dumtaxat extante, viuum defoderunt;
& insuper sacerdotes quosdam in Belgicis non longe ab Ypris,
eodem modo, viuos terra & lapidibus obruerunt; metasq. e ca-
pitibus interuallo relicto constituentes, ad illa globos lapideos,
aut ferreos ludi gratia dirigebant.] & hætenus de his.

Reliquum est deinceps, vt alia cruciamentorum pœnarumq.
genera comprobemus, declaremusque. Quamobrem loquemur
primo loco de martyribus, qui publice vestibus spoliati per ciui-
tates ducebantur; deinde de illis, qui vel in carceres vitreis strato-
tos, vel testaceis fragmentis, vel etiam muricis ferreis, nudis cor-
poribus inclusi, miserandum in modum illorum aculeis torque-
bantur, vel ad duarum arborum ramos alligati descerpebantur.
tertio & postremo loco de martyribus habebitur sermo vel in
exilium pulsus, vel ad opus, aut ad metalla damnatis.

*De martyribus
qui vel publice
vestibus denuda-
ti deducebantur,
vel aculeis testa-
ceorum, vel con-
similium torque-
bantur, vel ad
duarü arborum
ramos alligati
discerpebantur.*

Supplicijs primi alteriusve generis testimonio sunt Acta SS.
martyrum Carpi & Papili a Metaph. recitata Suriij tom. 2. Men-
næ ab eodem scriptore Suriij tom. 6. Alexandri a Lipom. tom. 7.
Vincentij a veteribus nostræ bibliothecæ manuscriptis, Petri &
Marcellini a Petro lib. 5. cap. 74. Victoris & Coronæ a veteri
nostræ bibliothecæ manu exarato codice, & a Metaph. apud Li-
pom. tom. 7. & Surium 3. item Stratonis a Menologio quinto
Id. Septembris, vbi hæc verba referuntur:

Natalis B. martyris Stratonis, qui in duobus cedris ligatus,
& in duas partes sectus pro Christi confessione, cum caelestibus
coniunctus est.] hæc ibi.

De plu-

De pluribus Christi fidelibus hoc eodem cruciatu affectis scribit Eusebius lib. 8. cap. 9. Nicephorus eum secutus lib. 7. cap. 8. & Metaphr. in rebus gestis paulo ante citatis B. Victoris, & Coronæ.

De Catholicis, ac præcipue religiosis, & sacerdotibus, quorum ventres ab hæreticis nostro sæculo dissecti sunt.

Non solum ab antiquis Idololâtris, atque hæreticis Christiani martyres varijs diuersisq. modis dissecti fuere, vt nuper & paulo superius aperuimus, sed etiam ab hæreticis nostri temporis. Perueniant, quæso, ad aures nostras, quæ de his scribit Surius in commentario rerum suo tempore in orbe gestarum, & Theatrum crudelitatum. Sunt autem eiusmodi:

Huguenoti apud S. Macarij in Vascouia presbyterorum ventres ferro disseuerunt, & eorum intestina paulatim baculis circumuoluta euulserunt.

In vrbe Mancina, capto sacerdoti admodum grandæuo, amputarunt pudenda, atque igne tosta, in os ingesserunt; & vt viderent quomodo ea digèret, viuenti ventriculum diffiderunt, atque ita interemerunt.

Cuidam alteri presbytero, vt erat viuus, Iuliani tyrannidem sæuitiamq. imitantes, ventrem ferro aperuerunt, & imposita auena præsepe & pabulum equis suis præbuerunt.]

Hæc sunt sacerdotum Christi tormenta: sed audi adhuc alia, dira quidem & ipsa, atque aspera; vt nihil eorum, quæ ad Catholicorum pro vera religione occisorum gloriam pertinent, prætereamus.

In parochia Cassenouili, vicina Engolismæ, Huguenoti presbyterum quemdam, Ludouicum nomine, virum, testimonio habitatorum eiusdem loci, optimæ & exemplaris vitæ, apprehenderunt, cuius manus ahenò oleo bullienti pleno tam sæpe ac diutine immerferunt, quousque auulsa ab ossibus caro exciderit: nec crudeli eo satiati tormento, infuderunt ori eiusdem bulliens istud oleum; & cum nondum mortuum viderent, glandibus plumbeis, e fistulis ferreis emittentes, interemerunt.

Ff

Cepe-

Ceperunt & alium presbyterum, Colinum nominatū, quem, abscētis pudendis, cistæ perforatæ includere: deinde tantam bullientis olei vini ei superinfudere, vt animam, his tormentis victus, exhalaret.

In parœcia vulgo appellata, Riuires, alium quemdam comprehenderunt, qui adhuc viuo linguam, mento perforato, euulserunt, tum inde trucidarunt: similiter & alium, cui nomen Ioannes, excoriatis candenti ferro pedibus, iugularunt.

Simon Vicarius S. Hilarij Montieriēsis, sexagenarius, vir omni virtute refertus, ab eo, quem fidum sibi crediderat, proditus, captiuus Engolismam tractus est; coactusq. ingenti pecunia vitam redimere, non sine magna difficultate multam impositam exsoluit. Redeūti, & in libertatem, vt putabat, restituto, emissus perditorum quispiam per portam S. Petri, qui consequeretur, occurrit; qui apprehenso, tamquam carnifex, oculos eruit, & linguam sub mento euulsi.

Arnoldus Durandean Vicarius Fleacensis, octogenarius, ab Huguenotis iugulatus, in fluuium proiectus est.

Franciscus Rabotean, in parœcia Foucquebrunensi Vicarius captus ab Huguenotis, adiunctus est, & alligatus bobus plaustrum trahentibus, atque tot & tam grauib. stimulis adactus, & flagellis cæsus est, vt inter ea tormenta tandem exspiraret.

Eo tempore, quo Auriacus Princeps Ruremundam Geldriæ urbem occuparat, milites eius monasterium Carthusiense vi inuasere, exclamantes, Gelt, Gelt, ea vociferatione significantes se velle pecunias. In introitu interempti sunt fratres laici tres, Albertus, Ioannes, & Stephanus Ruremundensis: inde in templum proruentes, venerabilem Priorem Ioachinum, precibus vnâ cum ceteris fratribus intentum, offendunt: eum cum vulneribus affixissent, inde extraxerunt; monachi ibidem quatuor necati, nempe Ioannes & Seuerus sacerdotes, Henricus & Federicus diaconi; reliqui grauius vulnerati relictî sunt.

Vincentius Hercquius monachus laicus, ab iisdem captus, & in templum raptus, flexis genibus postquam orasset; Domine Deus, merear, quæso, fratribus meis morte & martyrio sociari: mi-

ri: militum vnus, eo audito, ingensilli in caput vulnus infixit; adeo vt sanguine murus, vti adhuc conspicitur, admodum alte conspergeretur. Post hæc in plateas attractum, num religionem deserere, & partes suas tueri vellet, rogauit, vitam ei seruaturum incolumem. Negauit id se facturum monachus constantissime, & se mori malle, quam fidem negare, professus est: precatusque, Domine, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt; ab iisdem virtutem suam stupentibus, schoplettorum (vt dicunt) missilibus, trucidatus est.

Eodem tempore Paulus a Valuich Reuerendissimo D. Ruremundensi D. Guilhelmo Lindano a sacris, qui ad id monasterium, vt in hac felicissima turba moreretur, confugerat, ibidem interemptus est.

In ciuitate Engolisma frater Ioannes Auril, ex ordine S. Francisci, octogenarius, ab Huguenotis, capite bipenni diuiso, in latrinas proiectus est.

Amplius ab iisdem Satanæ ministris, diuersis in locis, sacerdotibus pluribus Deo ministrantibus nares & auriculæ amputatæ fuerunt, oculiq. eruti. Quocirca tanta extitit Huguenoti cuiusdam impudentia, atque barbaries, vt ex absectis presbyterorum auriculis torquem sibi confecerit, & eo tamquam facto strenuo coram primarijs gloriaretur.

Ad hæc, iisdem Huguenoti in Alemaria Batauiæ vrbe, fratri Engelberto a Burgo, ordinis sancti Francisci, inter alia, quæ passus est tormenta, viuo corpus, thoracis in morem, cultellis confecerunt.

Apud Goudam Batauiæ similiter urbem, Dominus de Lumay, duobus comprehensis monachis, Ioanne nempe Ricestello collationis domus (vt vocant) patre, & Hadriano eiusdem domus procuratore; eos nudari iussit, & a militibus suis gladio- rum ictibus, se inspiciente, compelli, vt per densissima current spineta; demum laceratis corporibus, & effuso sanguine, nihil motus, trucidari mandauit.

Insuper Calvinistæ hæretici in Angliæ Regno commorantes, presbyteros Catholicos, diuino sacrificio peragendo intentos, trahunt, & vt sacras induti sunt vestes, equis impositos meridio-

nali tempore, funalibus ardentibus prælatis, in ludibrium per plateas circumducunt.

Hoc tormenti genere affecta fuit, Diocletiano imperante, sancta Christi virgo Chastissima.

Iisdem auriculas candenti ferro perforât: quibus etiam, sicuti & alijs religiosis hominibus, ludibrio in theatro publice expositis, capita numellis, vt vocant, inferunt, simulq. aures ad tabulata clavis affigunt: & hoc quidem non aliam ob causam, nisi quod de innocentia martyrum, ceterorumq. Catholicorum, qui propter Orthodoxam fidem affliguntur, bene sentiant, & loquâtur.]

Atque hæc (vt alia missa faciamus, quæ superioribus capitibus diximus, quæve inferius loco suo dicturi sumus) hæretici aduersus nostros in Anglia, Hibernia, Gallijs, & Belgicis.

Age vero, quoniam tempus iam est, redeamus ad alia tormenta martyrum antiquorum declaranda, comprobandâq. tum quæ paulo ante, tum etiam quæ initio capitibus proposueramus; nimis enim forsitan ab his digressi sumus.

De martyribus in exilium puls. * Vide quæ de hac Flauia Domitilla scripsimus in histor. nostra SS. virg. Rom.

Ceterum de cruciamentis ac pœnis vltimo loco positis, & primum de martyribus exilio mulctatis, fidem faciunt Dio in Domitiano, dum de Flauia Domitilla * loquitur, Tertullianus in apologet. c. 12. Cyprianus epist. 77. ad Nemesianum, & ceteros in metallo constitutos; Hieronym. de scriptorib. Ecclesiast. in Ioanne Apostolo, & innumera sanctorum martyrum res gestæ, speciatim Clementis Papæ relatæ a nobis in histor. nostra SS. virg. Rom. Cornelij a veteribus manuscriptis, & a Surio tom. 7. Cypriani a Pamelio, & a codicibus peruetustis manu exaratis, Pontiani Papæ a Martyrologijs 13. Kal. Decemb. Bibianæ, & Demetriæ, ac Seueræ virginum a nobis in historia nostra SS. virg. Rom. & aliorum.

De Christianis vero ad opus damnatis, ad fodiendum, portandumq. arenam, lapides, & consimilia, res gestæ sanctorum a nobis in histor. nostra SS. virg. Rom. descriptæ, videlicet, Clementis Papæ, Seueræ virginis, ac Papiæ & Mauri militum.

De illis denique qui ad metalla, Tertullianus, & Cyprianus locis quorum nuper meminimus, Clem. Rom. lib. 5. Apostol. constit. cap. 1. Eusebius histor. Eccl. lib. 8. cap. 15. 17. 18. 19. 22. 24. 27. & quamplurima sanctorum Acta, videlicet Helia & sociorum a Romano Martyrologio 14. Kal. Martij, & ab Eusebio

bio histor. Eccles. lib. 8. cap. 22. Siluani Episcopi, & aliorum trigintanouem a Nicephoro lib. 7. cap. 16. Nemesiani, Paphnutij, atque Spiridionis a Rom. Martyrologio varijs in locis.

De Nemesiano & socijs quarto Id. Septemb. hoc modo:

In Africa natalis sanctorum Episcoporum, Nemesiani, Felicis, Lucij, alterius item Felicis, Littei, Poliani, Victoris, Iaderis, Datiui, & aliorum, qui sub Valeriano & Gallieno exurgente persecutionis rabie, ad primam confessionis Christi constantiam, grauitur fustibus cæsi, deinde compedibus vincti, & ad fodienda metalla deputati, gloriosæ confessionis agonem consummarunt.]

De S. Paphnutio tertio Id. eiusdem mensis sic:

In Aegypto S. Paphnutij Episcopi, qui vnus fuit ex ijs confessoribus, qui sub Maximiano Imperatore dextro oculo effosso, & sinistro poplite exciso, ad metalla damnati fuerunt: deinde sub Cōstantino Magno aduersus Arianos pro fide Catholica strenue decertauit: & demum multis coronis auctus in pace quieuit.]

De S. Spiridione 19. Kal. Ianuarij ita:

In Cypro insula natalis B. Spiridionis Episcopi, qui vnus fuit ex illis confessoribus, quos Maximianus, dextro oculo effosso, & sinistro poplite succiso, ad metalla damnauerat. Hic prophetiæ dono, & signorum gloria inclytus fuit, & in Nicæno Concilio philosophum Ethnicum Christianæ religioni insultantem deuicit, & ad fidem perduxit.]

Scribit præterea de Christianis ad metalla damnatis S. Athanasius ad solitariam vitam agentes, in hunc modum:

In summa, ita erant Ariani feri & acerbi in omnes, vt carnifices, homicidæ, nefarij delatores, malefici, & quiduis potius quam Christiani ab omnibus vocarētur: quippe qui Scythas imitantes, rapuerint Eutyrium subdiaconum, virum probe Ecclesiæ inseruientem; quem primum scuticis vsque ad mortem curauerunt verberari, deinde ita moribundum in metallum mit-
ti, & non in quoduis metallū, sed in id quod Phæno appellatur, in quod homicida cum condemnatur, non nisi ad paucissimos dies superesse potest: & quod immanius est, ne paucis quidem horis ad curationem vulnerum concessis, hominem statim in metallum

Eutyrius subdiaconus ad necem flagellatus, deinde in metallum letale damnatur.

metallum deportarunt; prædicantes, si hoc fieret, omnes in metu futuros, & secum consociatum iri. Ceterum ille non longe auctus, cum imbecillior esset, quam ut ad metallum perducere posset, ex dolore vulnerum in itinere decessit. Et ita ille cum gaudio mortuus est, possidens gloriam martyrij.] hæc Athanasius. Cui proxime accedere videtur Petrus Alexandrinus apud Theodoretum hist. lib. 2. cap. 20. dum ait:

Palladius Præfectus impius.

*Quid in Damasi
Pape diaconum
Ariani.*

Mandatum dabatur a Palladio urbis illius Præfecto, homine superstitioni deditissimo, ut omnino Catholici lacrymari desinerent. Unde multi qui plorabant, hinc præ diuino zelo strenui Ecclesiæ propugnatores, arrepti primum in custodiam conijcebantur: deinde verberibus cæsi, lacerati, & tormentis affecti, ad metalla, quæ sunt in Phenneso, & Proconneso, amandabantur. Inter quos complures erant monachi, ad numerum vigintitrium, qui, quo seueram disciplinam excolerent, in solitudine habitauerunt. Quibuscum vna diaconus, qui litteras tum consolationis tum communionis a Damaso Episcopo Romano ad nos attulerat, manibus a tergo colligatis a lictoribus palam, tamquam maleficus insigniter improbus, trahebatur: qui acerbioribus tormentis, quam quisquam homicida, excruciatu fuit: cuius ceruices lapidibus & plumbo crudeliter verberatæ erant, Postremo naue ad trajiciendum conscensa, eodem modo cum eo atque cum ceteris factum est. Nam omni ope ac subsidio destitutus erat, & propterea frontem signo sanctæ crucis consignauit: sicque metallis aneis, quæ sunt in Phenneso, traditus est.] & de Catholicis ad metalla damnatis hæc Petrus. sed iam reliqua prosequamur.

De martyribus exilio damnatis.

Relegari solebant fortissimi bellatores Christi in insulas, veluti Tertullianus tradit in apolog. c. 12. & res gestæ Sanctorum, nempe Pontiani Papæ, Cæciliæ virginis, Flauiaq. Domitillæ item virginis, & alterius eiusdem nominis, quæ Flauij Clementis martyris vxor extitit; & aliorum. Fit mentio de hoc exilij genere a Marciano in l. exilium. ff. de interd. & relegat. vbi do-

cet

cet triplex fuisse exilium, videlicet, aut certorum locorum interdictionem, aut latam fugam, vt omnibus locis præter certum locum interdiceretur; vel demum insulæ vinculum, hoc est, in insulam relegationem: & in hanc qui exilio mulctati erant, inde egredi nullo pacto eis licebat, l. relegat. ff. eo.

Exilium triplex.

Porro hæc eadem pœna post relegati etiam mortem manebat: nam si quis in insulam relegatus ibi e vita migrasset, alio corpus eius transferri, inconsultoq. Principe tumulo mandari nequibat, l. 2. ff. de cadau. punit. Præterea alijs quoque pœnis hoc modo in exilium eiectioni afficiebantur. Siquidem vel deportati, vel relegati erant in insulas. Si primū; tunc, Vlpiano teste, l. eius qui. s. 1. & s. sequenti, ff. qui testam. fac. pos. non solum singulis suis bonis, domo, & patria priuabantur, sed etiam ciuitate Romana, si ciues Romani erant, spoliabantur. vide, si libet, legē 1. ff. de bon. damnat. Si vero relegabantur; vel ad tempus, vel in perpetuum, l. relegatorum. s. hæc est. & l. relegatus. ff. de interd. & relegat. l. quod si forte. s. quid ergo. ff. de solut. Si ad tempus: tunc eiusmodi relegatis neque bona, neque bonorum partem adimi debuisse, rescriptis quibusdam cauebatur. Vlpianus enim dicta l. relegatorum. s. hæc est. testatur, eorum sententias reprehensas fuisse, qui ad tempus exilio mulctatis bona, vel partem bonorum ademissent; sic tamen, vt non debilitarentur sententiæ, quæ ita prolatae fuissent. Ac relegationis absque bonorū ademptione extat exemplum apud Arianū Epithet. lib. 1. cap. 1. Perpetuo autem relegatorū poterat pars saltem fisco adiudicari. sic Marcianus l. relegati. ff. de interd. Et l. in ratione. s. cum quidam. ff. ad leg. Falc. proponitur quidam, qui dimidia bonorum parte spoliatus in exilium missus fuit. Hoc idem ostendere videtur Paul. l. si quis aliquid. s. si abortionis. & s. si quis instrumentum. ff. de pœnis. Atque hæc de relegatorum pœnis, de quibus adhuc plura tradit Briffonius lib. 5. de formulis.

Ceterum legimus in S. Athanasio, alijsq. patribus, quamplurimos Orthodoxæ fidei sectatores fuisse ab Arianis, sub Cōstantio præsertim & Valēte Imperatoribus, atque sub Hunerico Vandalorum Rege hæretico, exilio mulctatos, & varijs insuper diuersisq.

uerfisq. pœnarum probrorumq. generibus, cum in itinere, tum in exilij loco, miserandum in modum affectos. Quamobrem hæc ille in apologia de fuga sua :

Eustracius in exiliū actus cum multis alijs Episcopis.

Linus in catenis captus est.

Episcopi in exiliū pulsī, quod contra Athanasium scribere nollent.

Quis igitur locus reliquus, qui non ipsorum, id est, Arianorum scuitiæ monumenta possidet? Quæ ecclesia non luget eorum infidias? Nonne Antiochia ob Eustratium confessorem & orthodoxum virum ademptum in mærore est, & Balanea ob Euphrationem, Bultus & Antardus ob Cymatium & Carterium, Hadrianopolis ob Eutropium Christo addictissimum, deinde ob Liuium, qui ipsorum opera sæpe & catenas gestauit, & in catenis mortem obiit? Nonne Ancyra Marcellum luget? Berœa Acyrum? Gaza Diasdepan? quos sæpius antea contumeliose habitos, tandem suis dolis in exilium eliminarunt. Nonne itidem Theodulum & Olympium, Thraces? Quid autem de nobis ipsis, nostris presbyteris dicam?] Et post :

Arianorum scelera qui vniquam condigne extulerit? aut tanta memoria, vt quæ ab illis designata sunt, plene recenscat? Pacata enim hæc tenus Ecclesia, populoq. in sacris Synaxibus orante, Liberius Romanus Præsul, Paulinus Galliarum Metropolitani, Dionysius Italiæ, Lucifer Sardinia, Eusebius item Italiæ, omnes boni & præclari Episcopi, veritatis præcones, aguntur, raptantur, & in exilium profligantur, nulla prorsus de causa, nisi quod non adstipulati sunt Arianorum hæresi, & illorum calumnijs aduersus nos fictis subscribere noluerunt. Nam de magno & grauissimæ ætatis viro, eodemq. confessore Osio, qui vere Osius est, id est, sanctus, superfluum arbitror mentionem facere; cū nullus fortasse sit, quin cognitum habeat eum ab istis quoque in exilium missum esse, &c.] ac paulo post:

Ceteros deinde omnes, quotquot comprehenderant, in eam partem Aegypti, quæ Magna Osis appellatur, relegarunt. Corpora autem defunctorū initio ne suis quidem dari voluerunt, eaq. pro libidine sui consilij insepulta clanculum habuerunt, quod putarent suam crudelitatem latere posse. Qua in re vecordes illi magno errore mentis tenebantur: necessarij enim amiciq. interfectorum, de confessione quidem suorum læti, sed mæsti admodum de subductis corporibus, nec tacentes facti immanitatem, causam

causam dedere, vt scelerum tragoediae semper in maius diuulgarentur. Illi autem ex Aegypto & Africa hos Episcopos ad fugam exiliumq. compulerunt, Ammonium, Muum, Gaium, Philonem, Hermem, Plinium, Pfinofirin, Pelamonem, Agathonem, Anagamphon, Marcum, Ammonium, & alterum eiusdem nominis, Marcum, Dracontium, Adelphium, Athenodorum; presbyteros vero, Hieracem, & Dioscoriū: quos tanta acerbitate raptauerunt, vt quidam in via, quidam in exilio mortem oppetierint, actis in fugam pluribus quam triginta Episcopis.] Item & in epistola ad solitarios idem Athanasius:

Episcopi multi ex Aegypto & Africa in exilium puls.

Imperatore Constantio prompto ad omnia quae ipsi Ariani vellent, effecere, vt ab Alexandria in Armeniam duo presbyteri & tres diaconi relegarentur. Arium porro, & Asterium, alterum in Petra Palæstines, alterum in Petra Arabiae Episcopum, qui ab ipsis descuerant, non solum in superiorem Africam relegarunt, sed vt contumelias paterentur, operam dedere. Lucij porro Hadrianopoleos Episcopi manus, ceruicemque, plurima aduersus ipsos audacia vtentis, & impietatem redarguentis, iterum vti prius ferro vinxerunt, vinctumq. in exilium deportarunt, ibiq. (quod ipsos minime latet) extinctus est.]

Presbyteri, diaconi, & Episcopi in exilium puls.

Ferro vincti.

Et paulo post, loquens de Lucifero Metropolitano Sardiniae, alijsq. Episcopis, ait: Excusso igitur sancti puluere, & oculis in Deum reiectis, nec Caesaris minas verebantur, neque ob strictos enses veritatem prodiderunt, & exilium veluti ministerij sui officium acceptarunt, pergentes de loco in locum, & de ciuitate in ciuitatem: & nihilominus, quamquam in vinculis essent, euangelizabant, piam quidem fidem deprædicantes, Arianam autem hæresin anathemate damnantes.] Atque hæc quidem S. Athanasius.

Petrus vero Alexandrinus apud Theodoretum historiae lib. 2. cap. 20. de Catholicis sub Valente in exilium pulsus hæc narrat:

Sententiam de pijs, populo vniuerso ante tribunal grauiter lamentante, pronunciat Magnus prouincialium largitionum Comes, vt Alexandria exacti, ad incolendum Heliopolim, vrbe Phoeniciae, transportarentur: in qua quidem vrbe ne vnus quidem habitabat, qui Christi nomen audire (omnes enim simula-

Qualis fuerit hic Magnus, habes in hac eadem Petri epistola.

cra colebant) omnino sustineret. Itaque iussis illis actutum nauem conscendere, ille ipse in littore stans (nam in balneis publicis, quæ prope inde aberant, eos condemnauerat) ensẽm districtum illis ostendit, ratus quidem se terrorem iniecturum eis, qui ancipiti gladio Spiritus, infestos daemones sæpenumero vulnerassent. Dat igitur mandatum, vt iam, cum neque com̃eatum vllum in nauem imposuissent, neque quicquã omnino haberent, quo exilij molestias subleuarent, inde soluant.] & paulo post:

Cum enim tota ciuitas Heliopolitana in luctu & mærore esset; hi, hoc est, Ariani, quorum crudeles animi nullo modo exaturari poterant, non conquieuerunt, sed scelus de integro exercere aggressi sunt. Nam voluntatem suam, quæ ad deteriora inclinabat, patefacientes, suæ maleuolentiæ virus in illius prouinciæ Episcopus effundere cœperunt. Siquidẽ opera Magni, quem diximus, Comit̃is largitionum, satellites ad iniuriam satis instructi, nonnullos eorum in iudicium adducere: alijs, quo libitum erat modo, infidias parare, eo consilio, vti omnes vbique impietatis laqueis irretirent, nihil intentatum relinquentes. Quin etiam omnia loca circuire, non aliter atque diabolus ipsorum hæreseos parens, quærentes quem deuõrent. Atqui cum in eo quod conabantur, ab omnibus se destitutos viderent, vndecim tamen Episcopus Aegypti, viros qui ab ineũte ætate, ad summam vsque senectutem solitudinem seueræ disciplinæ causã incoluerant, qui sanctam ac sinceram fidem audacter & libere prædicarant, pietatisq. dogmata vna cum lacte nutricis suxerant, qui victoriam contra daemones reportarant, qui virtute aduersarium represserant, qui Arianam hæresin suis (vt aiunt) coloribus depinxerant; Magnõ illo, quem supra nominauimus, velut instrumento crudelitatis vsi, in exilium eiecerunt: oppidumq. nomine Diocæsaream, a Iudæis, qui Dominum interfecerant, habitatum, incolere compulerunt. Et tamen non aliter quam Orcus, morte fratrum minime satiati, vbique terrarum, velut amentes ac stupidi, suæ crudelitatis monumenta relinquere non verentur, atque adeo maleficijs se nobilitare student. Ecce enim rursus Ecclesiæ Catholicæ clericos, qui Antiochiæ commorabantur, quiq. cum quibusdam monasticæ vitæ spectatis tragica eorum

*Episcopi Aegyptij
vndecim in exi-
lium acti.*

rum

rum scelera testata apud omnes relinquere constituerant, isti vocibus maledicis contra eos in auribus Imperatoris infusis, Neocæsaream urbem Ponti relegandos curauerunt; qui quidem, propter locorum asperitatem, vita quoque breui spoliati sunt.] hactenus Petrus Alexandrinus.

Porro Victor de persecutione Vuandalica lib. 2. de Catholicis ab Hunerico Rege Ariano in exilium actis, deq. eorum pœnis hæc publicis monumentis consignauit: Nitebatur semitam inuenire, per cuius aditum, publicam, sicut fecit, faceret persecutionem. Et ita faciens, nullo modo inuestigare potuit quomodo Christi Ecclesiã macularet. Quibus autem prosequar fluminibus lacrymarũ, quando Episcopos, presbyteros, diaconos, & alia Ecclesiæ membra, id est, quatuor millia DCCCCLXVI. ad exilium eremi destinauit? in quibus erant pòdagri quamplurimi, alij per ætatem annorum lumine temporali priuati. In quorum erat numero beatus Felix Abdiritanus Episcopus, habens iam in Episcopatu quadragintaquatuor annos; qui paralytici morbo percussus, nec sentiebat quicquam, nec penitus loquebatur. De quo nos maxime cogitantes, quod non posset iumento portari, suggestimus, vt a suis Rex peteretur, vt saltem eum prope moriturum Carthagini esse iussisset, quod ad exilium nulla posset ratione perducì. Cui ita fertur Tyrannus cum furore dixisse: Si animali sedere non potest, iungantur boues indomiti, qui eum colligatis funibus trahendo perducant, vbi ego præcepi. Quem ex transuerso super burdonem vinctum, quasi quemdam ligni truncum, toto itinere portabamus. Congregantur vniuersi in Siccensem & Larensẽ ciuitates, vt illuc occurrentes Mauri sibi traditos ad eremum perduxissent. Superuenientes igitur Comites duo subtilitate damnabili blandis sermonibus cum Dei confessoribus agere cœperunt: Quid vobis, inquit, videtur, vt ita pertinaces sitis, & domini nostri præceptis minime obtemperetis, qui esse poteratis in conspectu Regis honorabiles, si eius festinetis facere voluntatem? Statim illis clamantibus, & dicentibus ingenti vociferatione; Christiani sumus, Catholici sumus, Trinitatem vnum Deum inuiolabilem confitemur: includuntur grauiore quidem,

*Multa millia
martyrũ in exi-
lium actorum.*

*Felix Episcopus
relegatur.*

*Barbaries in-
audita.*

*Propitudo, sar-
torum martyrũ.*

Infantes in exilium amandati.

Matres gaudent ob filiorum exilium, perinde ac martyrum genitrices.

Annis Catholica ardor.

Includitur martyres in angustiissimo loco vnus super alium quasi agmina locustarum.

In angustiioribus locis quanta precerentur confessores Christi.

sed adhuc latiore custodia, vbi nobis copia dabatur & introire, & verbum admonitionis fratribus facere, & diuina mysteria celebrare. Ibi & infantuli fuere quamplurimi, quos genitrices materno sequebantur affectu, alia gaudentes, alia retrahentes: alia gaudebant se martyres peperisse, alia morituros diluio rebaptizationis nitebantur a confessione fidei reuocare. Nullum tamen tunc nec blandimenta vicerunt, nec carnalis pietas aliquem inclinavit ad terram. Nam quaedam quid tunc fecerit anus, breuiter referre delectat.

Dum iter ageremus cum Dei exercitu comitantes, & forte magis noctibus promoueremur propter Solis ardorem; conspiciamus mulierculam, sacculum & alia vestimenta portantem, manu infantulum vna tenentem, atque in his sermonibus consolante: Curre, domine meus; vides vniuersos sanctos, quomodo pergunt, & festinant hilares ad coronas? Quam nos cum increparemus, quod importuna videretur aut viris pro sexu iungi, aut exercitui Christi fociari; respondit: Benedicite & orate pro me, & pro isto nepote paruulo meo; quia etsi peccatrix, filia sum quondam Turritanae ciuitatis. Cui nos: Et quare ita abiecte ambulas? & qua ratione de tam longo itinere huc pergere demonstratis? Quae respondit: Cum hoc seruo vestro paruulo ad exilium pergo, ne inueniat eum solum inimicus, & a via veritatis reuocet ad mortem. Ad haec verba repleti lacrymis, nihil dicere valuimus, nisi vt voluntas fieret Dei.

Sed vbi aduersarius, qui iam forte dicebat, Participor spolia, replebo animam meam, interficiam gladio meo, dominabitur manus mea; nullum potuit occupare: inquit angusta & deterrima loca, in quorum coelauibus Dei exercitum coarctaret. Tunc eis etiam visitationis humanae negata consolatio, puniuntur & custodes fustibus, & grauius affliguntur: iactantur confessores Christi super inuicem angustia coarctante, vnus super alium, vt agmina locustarum, & vt proprie dicatur, vt grana pretiosissima frumentorum. In qua constipatione secedendi ad naturale officium nulla ratio sinebat loci; sed stercora, & vrinam, urgente necessitate, ibidem faciebant, vti ille tunc foetor & horror vniuersa poenarum genera superaret: ad quos aliquando dantes ingen-

ingentia munera Mauris, dormientibus Vuādalis, vix clā admissi sumus intrare. Qui introeuntes, veluti in gurgite luti, vsque ad genua cœpimus mergi; illud tūc Hieremiā videntes fuisse completum: Qui nutriti sunt in croceis, amplexati sunt stercora sua.

Quid multa? præcepti sunt, vndique perstreptentibus Mauris, ad iter, vbi destinati sunt, properari. Exeuntes itaque die Dominica, linita habentes stercoribus vestimenta, facies simul, & capita, a Mauris tamen crudeliter minabantur, hymnum cum exultatione Domino decantantes: Hæc est gloria omnibus sanctis eius. Aderat enim ibi tunc beatus Pontifex Cyprianus Vnizibirensis Episcopus, consolator egregius, qui singulos pio & paterno fouebat affectu, non sine fluminibus currentium lacrymarum, paratus pro fratribus animam ponere, & se vltroneum, si dimitteretur, talibus passionibus dare; qui totum quod habuit, egentibus fratribus, nulla tunc necessitate expendit: quærebat enim occasionem, qualiter confessoribus sociaretur, ipse animo & virtute confessor: qui postea per multos agones & squalores carceris, ad exilium, quod desiderabat, cū exultatione perrexit.

*Cypriani Vnizibirensis Episcopi
charitas.*

Quantæ tunc multitudines de diuersis regionibus & ciuitatibus ad visendos Dei martyres occurrerint populorum, testantur viæ, vel semitæ: quæ cum agmina venientium nequaquam caperent, per vertices montium & vallium concurrens turba Fidelium inæstimabilis descendebat, cereos manibus gestantes: suosque infantulos vestigijs martyrum proijcientes, ista voce clamabant: Quibus nos miseros relinquitis, dum pergitis ad coronas? qui hos baptizaturi sunt paruulos fontibus aquæ perēnis? qui nobis pœnitentiæ munus collaturi sunt, & reconciliationis indulgentia obstrictos peccatorum vinculis soluturi? quia vobis dictum est: Quæcumque solueritis super terram, erunt soluta & in cælis. Qui nos solemnibus orationibus sepulturi sunt morientes? a quibus diuini sacrificij ritus exhibendus est consuetus? Vobiscum & nos licebat pergere: si liceret, tali modo filios a patribus nulla necessitas separaret. In his vocibus & lacrymis nullus iam pergere admissus est consolator; sed arctabatur multitudo ad currendum, vt vbi cannaua erat præparata, laboriosam caperet mansionem: qui cum senes deficerent, & alij forte, et si

iuue-

Frgebatur martyres ad currendum stimulis & alijs modis.

Tanta feritate raprabatur sancti, ut multi ex eis inter manus trahentium spiritum emiserint.

Sancti hordeo, ac si iumenta fuissent, pascebatur.

Animalia virulenta sanctis Christi confessoribus non nocent.

Catholici in Anglia insu Elizabethæ in exilium mittuntur.

iuvenes delicati, cœperunt hastilium cuspidibus ad currendum & lapidibus tundi: vnde magis deficientes, amplius lassabantur. Post vero imperatum est Mauris, ut eos qui ambulare non poterant, ligatis pedibus, ut cadauera animalis mortui, traherent per dura & aspera lapidum loca, vbi primo vestimenta, postea membra singula carpebantur: Quibus per gladios acutos petrarum huic caput conterebatur, alij latera findebantur, & ita inter manus trahentium spiritum exhalabant: quorum numerum nequaquam valuimus colligere, multitudine coercente. Exaltatur tamen per totum aggerem publicum vilis sepultura sanctorum, loquentibus tumulis. Reliqui habiliores ad solitudinis loca perueniunt; in quibus collocati hordeum ad vescendum ut iumenta accipiunt. Vbi etiam venenatorum animalium atque scorpionum tanta dicitur esse multitudo, ut ignorantibus incredibilis videatur: quæ solo flatu etiam procul positis veneni virus infundat; ab scorpionum percussu nullum dicunt aliquando euasisse: quorum feritas virulenta usque ad præsens tempus, Christo defendente, nullum seruorum eius nocuisse docetur. Sed cum illic aluntur hordeaceis granis, postea & hoc ablatum est; quasi non poterat Deus, qui pluerat patribus manna, pascerere & nunc tali exilio mancipatos.] hucusque Victor de Hunerici in Catholicos immanitate: qua quidem referta mulierum omnium pessima Elizabetha Angliæ Regina dicta Christianos orthodoxos acerrimis tormentorum generibus, atque innumeris calamitatibus, poenisque exeruciat, & in exilium nonnumquam (sicuti Sandersus testatur lib. 3. de schismate Angliæ.) in exemplum & argumentum suæ simulatæ clementiæ, pellit. De huius ac patris impietate plura suis locis præfati sumus.

De damnatis ad opus, id est, adificiorum operibus ascriptis, vel purgationibus cloacarum, vel etiam viarum & vicorum munitionibus.

Meminit huius supplicij Suetonius in Nerone, cap. 31. ait enim, eum piscinam a Miseno ad Auernum lacum inchoasse, & fossam ab Auerno Ostiam usque; quorum operum perficiendo-
rum

rum gratia, quod vbiq̄ue effere custodiæ, in Italiam deportari, etiam scelere conuictos non nisi ad opus damnari præcepit. Idem in Caligula c. 27. Multos, inquit, honesti ordinis, deformatos prius stigmatum notis, ad metalla, & ad munitiones viarum, & ad bestias. condemnauit.] Traianus lib. 10. epist. Plinij: Si qui vetustiores inueniuntur, & sint ante decem annos damnati, distribuamus illos in ea ministeria, quæ non longè a pœna sunt: solent enim huiusmodi ad balineum, ad purgationes cloacarum, item ad munitiones viarum & vicorum dari.]

Publicis ministerijs mancipari quid sit.

Amplius de eodem supplicio res gestæ Marcellini Papæ sub S. Marcelli nomine his verbis: Tempore illo, quo Maximianus ex partibus Africæ redijt in urbem Romam; volens placere Diocletiano Augusto, vt in nomine eius Thermas ædificaret: cœpit ob inuidiam Christianorum, omnes milites, siue Romanos, siue alterius gentis, ad afflictionem laboris compellere, & per varia loca alios ad lapides, alios ad arenam fodiendam damnare. In ipso tempore, erat vir Christianus, nomine Thrason, vir potens, & facultatibus locuples, & vita fidelis: hic cum vidisset affligi Christianos fatigatione & labore, de sua facultate sanctis martyribus alimenta & victum ministrabat.] & paucis interpositis: Iussit Maximianus Augustus, vt Cyriacus scilicet, Largus, Smaragdus, & Sisinnius sub custodia foderent arenam, & humeris suis portarent, vsque ad locum, vbi Thermæ ædificabantur. Erat autem senex inter eos, nomine Saturninus, qui iam senectute maceratus erat; & cœperunt eum ad portandum iuuare. hoc autem cum viderent custodes, quia Sisinnius & Cyriacus diaconi suas & aliorum sarcinas portarent, &c.] hucusque Marcellini res gestæ: eadem quoque, vel saltem confimilia sunt, quæ habentur in passionibus sanctorum Cyriaci & sociorum apud Surium tom. 4. Seueræ virginis ac martyris apud nos in historia nostra SS. Virg. Rom.

Præterea de eodem quoque supplicij genere mentionem facit S. Athanasius his verbis:

Et quemadmodum post nostrum exilium contigit, Episcopus homines confessores flagris conscindi, alios in carceribus haberi, Præsulesq. longissimi in suo Episcopatu temporis publicis ministerijs

Episcopi flagris conscissi, publicisq. ministerijs mancipantur.

nisterijs mancipari, & fere omnes clericos & populos Ecclesiæ Catholicæ insidijs appeti, & persecutionem pati.] Et in epistola ad solitarios:

Episcopi ad lapidicinas damnati, id est, ad excidēdos lapides.

Lapidicina, locus ubi lapides exciduntur, latomia a Græcis dicitur. unde carcerē latiniā vocamus, sine quod damnati ad lapides excidendos mittebantur: siue quod Syracusanorum Tyranni latomias habebāt instar carceris excavatas, ex quibus excisi lapides fuerant ad urbem extruendam: hisce pro carcere utebantur. Plautus in capt. In lapidicinas facite deductus fiet. Lege Budæum ac Brissonii de verborum significationibus.

** Christiani ad opus damnabantur.*

Viliores personæ ad metalla damnabantur.

Milites Christiani ad opus Thermarum ascripti.

Veteres Episcopos Ariani profugos fecerunt, & hos quidē in lapidicinis manciparunt, illosq. ad necem persecuti sunt.] ita Athanasius.

Amplius de his etiam multa nobis scripta reliquit Victor de persecutione Vuandalica, præsertim lib. 2. ubi hæc tradit: At ut Tyrannus isto modo fidei infringere non valuit murum, cogitat ut nostræ religionis homines in aula eius constituti, neque annonas, neque stipendia solita potirentur: addidit quoque & laboribus eos contere rusticanis. Dirigit viros ingenuos & admodum delicatos ad campum Vticensem, ut sub ardentis Solis incendio cæspites messium defecarent. ubi omnes cum gaudio pergentes, in Domino lætabantur.] hæc ille.

His itaque sine controuersia aliqua persuademur, in more maiorum extitisse, ut vel rei, vel Christiani * homines, ad summam eis iniuriam inferendam, & præcipue qui militia nobiles essent, ad opus ascriberentur: l. si quidem Pedius. §. nam plurimum. ff. de incend. ruin. & naufr. viliores personæ dumtaxat in publicum opus tradi solebant: sic namque ibidem legitur: Si sordidiores personæ erunt, in opus eius temporis publicum dabis.] Igitur si milites in opus publicū dabantur, contra ipsorum leges profecto erat, quibus (ut Modestinus asserit l. 3. §. nam in metallum. ff. de re milit.) non licebat militem ad metalla damnari, aut torqueri: igitur neque ædificiorum operibus, ne more seruorum diuturno labore defatigari cogerentur, ascribi.

Extructa fuit Christianorum militum sudoribus ac laboribus, eorundemq. deinde martyrum, moles illa Thermarum, quam Diocletianam ad hæc tempora appellamus. Vnde Dei opt. max. beneficio accidisse putandū, ut superioribus annis, Pio Papa IV. sedente, eius potissima pars, quæ integra remanserat, in ecclesiæ vsum, memoriamq. Dei genitricis Mariæ, & Angelorum, sancte ac religiose fuerit commutata. Sed de damnatis ad opus hæc satis.

De mar-

De martyribus ad metalla damnatis.

Multa inuenimus pertulisse eos qui ad metalla damnabantur. Notis primum ac stigmatibus deformabantur, bonisque omnibus ciuitateque Romana spoliabantur: fustibus deinde cædebantur, compedibus vinciebantur: humi iacere, si fessis membris quietem dare voluissent, compellebantur: squalore, foetore, ac longa inedia affligebantur: insuper medium eis caput abradebatur: ac denique sanctis martyribus, hoc modo, Maximiano, Diocletiano, atque Galerio Imperatoribus, damnatis dexter oculus, sinistro eisdem poplite exciso, eruebatur.

Ad metalla damnati multa pertuliebantur.

Ac fuisse, damnatos ad metalla, notis & stigmatibus deturpato, ostendunt aperte Suetonius in Caligula cap. 27. & Constantinus l. 2. de pœn. Cod. Theod. Suetonius enim ait: Multos honesti ordinis, deformatos prius stigmatibus notis, ad metalla condemnauit, &c.] Constantinus vero ad Eumelium rescribens, inquit: Si quis in ludum fuerit, vel in metallum pro criminum deprehensorum qualitate damnatus, minime in eius facie scribatur: dum & in manibus, & in suris possit pœna damnationis vna scriptione comprehendi: quo facies, quæ ad similitudinem pulchritudinis cælestis est figurata, minime maculetur. Datum XII. Kal. April. Cabilluno, Constantino A. IIII. & Licinio IIII. Conf.] hæc ille: quibus profecto docemur, ad eius usque tempora hanc consuetudinem extitisse, ut facies illorum qui ad metalla damnabantur, atris notis perpetuo mansuris, profundis characteribus inciderentur.

Faciei deturpationem vetuit Constantinus.

Quod autem bonis exteris patriæque priuarentur, ex aliquibus legibus cognosci potest, præcipue l. 1. ff. de bon. damnat. & l. eius qui. §. 1. & seq. ff. qui testam. fac. pos. Præterea damnatis ad metalla seruitus irrogabatur, l. in metallum. l. aut damnatum. §. est pœna. & l. diui fratres. ff. de pœn. l. in metallum. ff. de iure fisc. & l. Pedius. §. non plurimum. ff. de incend. ruin. & naufr. in qua hæc verba reperies: Flagellis cæsos in metallum damnabis.] His ergo, qui hoc modo puniebantur, seruilis conditio saltem irrogabatur: ex quo consequitur ut singula eorum

H h

bona

bona damnatione publicarentur, l. 1. ff. de bon. damnat. confirmatur hoc idem l. in metallum. C. de bonis proscript. seu damnat. vbi hæc leguntur: In metallum damnatus pœnæ feruus efficitur; & ideo eiusmodi sententiam passi bona vindicantur rationibus fisci. Quare si quid rerum habuit is, quem postea nostra indulgentia liberatum esse proponis, ad ius fisci potius quam ad ipsius dominium pertinet.]

*Ad metalla dā-
nati martyres su-
flibus cedeban-
tur, vinciebatur,
& abradaban-
tur.*

Ad hæc, SS. martyres ad metalla damnatos, fustibus cæfos fuisse, compedibus vinctos, dimidia eis capita abrasa, fame, fœtore, ac squalore, alijsve modis afflictatos, demonstrat Cyprianus epist. 77. ad Nemesianum & ceteros martyres in metallo constitutos, dicens:

Quod autem fustibus cæsi prius grauiter & afflicti, per eiusmodi pœnas iniustis cōfessionis vestræ religiosa primordia; execranda nobis ista res est. Neque enim ad fustes Christianum corpus expauit, cuius est spes omnis in ligno. Sacramentum salutis suæ Christi seruus agnouit: redemptus ligno ad vitam æternam, ligno prouectus est ad coronam. Quid vero mirum, si vasa aurea & argentea in metallum, id est, auri & argenti domicilium, dati estis, nisi quod nunc metallorū natura conuersa est, locaq. quæ aurum & argentum dare ante consueuerant, accipere cœperunt? Imposuerunt quoque compedes pedibus vestris, & membra felicia ac Dei templa infamibus vinculis ligauerunt; quasi cum corpore ligetur & spiritus, aut aurum vestrum ferri contagione maculetur. Dicatis Deo hominibus & fidem suam religiosa virtute testantibus armamenta sunt ista, non vincula; nec Christianorum pedes ad infamiam copulant, sed clarificant ad coronam. O pedes feliciter vincti, qui non a fabro, sed a Domino resoluentur. O pedes feliciter vincti, qui itinere salutari ad paradisum diriguntur. O pedes in sæculo ad præsens ligati, vt sint semper apud Dominum liberi. O pedes compedibus & transuersarijs interim cunctabundi, sed celeriter ad Christum glorioso itinere cursuri. Quantum vult hic vel inuida crudelitas, vel maligna, nexibus vos suis & vinculis teneat: cito a terris & pœnis istis ad cælorum regna venietis.

Non fouetur in metallis lecto & culcitrīs corpus, sed refrigerio

rio & solatio Christi fouetur. Humi iacent fessa laboribus viscera, sed pœna non est cum Christo iacere. Squallent sine balneis membra situ & sorde deformia; sed spiritaliter intus abluuntur, quod foris carnaliter sordidatur. Panis illic exiguus: at non in solo pane viuit homo, sed in sermone Dei. Vestis argentibus deest: sed qui Christum induit, & vestitus abundanter, & cultus est. Semitonfi capitis capillus horrescit: sed cum sit caput viri Christus; qualecumque illud caput deceat necesse est, quod ob Domini nomen insigne est. Omnis ista deformitas, detestabilis & tetra Gentilibus, quali splendore pensabitur?] hæc ille.

His consimilia sunt quæ epist. sequenti ab iisdem ad S. Cyprianum rescripta recitantur: Agunt ergo tibi nobiscum damnati maximas apud Deum gratias, Cypriane dilectissime, quod litteris tuis laborantia pectora recreasti, fustibus vulnerata membra curasti, compedibus pedes ligatos resoluisisti, semitonfi capitis capillaturam adæquasti, tenebras carceris illuminasti, montes metalli in planum deduxisti, naribus etiam fragrantibus flores imposuisti, & tetrum odorem fumi exclusisti. Fecit autem & prosecutum ministerium tuum, & Quirini dilectissimi nostri, quod per Herennianum hypodiamonem, & Lucanum, & Maximum, & Amanthum acolithos distribuendum misisti, quæcumque necessitatibus corporum defuerant expediri.] hucusque Nemesiani, Datiui, & aliorum Episcoporum epistola ad Cyprianum.

Demum hisce damnatis dextrum oculum effossum fuisse, sinistriq. pedis nervos præcisos, indicant Romanum Martyrologium atque Eusebius locis paulo superius citatis. nam hæc Eusebius:

Cum malorum nobis impositorum exuberantia deinceps Diocletianus & Maximianus defessi essent, & in hominum cæde defatigati, & satietatem ac fastidium in sanguinis effusione cœpissent, & se ad tantam clementiam ac facilitatem (vt ab illis putabatur) conuentissent, vti de reliquo nihil acerbitatis contra nos moliri viderentur (non enim decere aiebant, ciuitates interstino cruore contaminare, neque propter crudelitatem Imperium eorum qui principatum tenebant, vtpote omnibus tam clemens & mansuetum, ignominia nota afficere; sed potius beneficentiam humanæ ac veræ regis potestatis in omnes patere oportere, vti

Ad metalla relegati nuda humo cubabant.

Alia pœna ad metalla damnatorum circa eorum visum & vestitum.

Damnatis ad hoc pœnae genus dexter oculus evuebatur, sinistriq. pedis nervi præcidabantur.

nulli de reliquo morte mulctarentur, hocq. contra nos supplicij genus propter Imperatorum benignitatem remitti relaxariq. debere) tum oculos effodi, alterum crus suffringi solum præcipiebatur. Ista enim apud illos mitia admodum cruciamenta, atque lenissima supplicia, quibus nos torquerent, videbantur: adeo ut dicendo explicare non possimus innumerabilem fere multitudinem eorum, quorum ob istam impiorum mansuetudinem non solum oculi dextri sicis ante eruti fuerunt & excisi (quibus euulsis, loca in quibus inerant, ferro candente exusserunt) sed laui pedes etiam in ipsis flexuum commissuris cauterio ambusti fuerunt, & prorsus debilitati: ac postea isti ad æris metalla in singulis prouincijs, non tam ministerij causa, quam afflictationis & cruciatus, condentati.] sic Eusebius*. Innuit præterea S. Clemens, Christianos ad metalla damnatos a militibus asserruari consueuisse: lex* autem eosdem verberibus seruilibus coerceri solitos docet. De hac re vide plura apud Tertullianum de habitu muliebri cap. 5. & Eusebium locis nuper adductis, & denique apud S. Clementem Romanum Pontificem lib. 5. constit. Apostolicar. cap. 1. & l. pariter in metallum. ff. de iur. fisci.

* Histor. Eccles. lib. 8. c. 24.
At metalla damnati a militibus custodiebantur.
* l. Pedius de qua supra.

Pane metalli inuentor qui fuerit.

Suidas verbo Semiramis.

Romani multa metalla habebant.

In metallum damnati Metallici dicebantur.

An idem sit, in metallum, & in opus metalli damnari.

Ceterum hanc eandem metalli pœnam a Tarquinio Superbo excogitatam, tradunt Eutropius lib. 1. cap. 10. & Suidas verbo *σέρπερος*. Quamquam ille huius pœnæ auctor atque inuentor primarius non extiterit, cum ante eum Semiramis metalla inuenisse, eaq. per captiuos exercuisse, Diodorus Siculus & idem Suidas apertis verbis doceant.

Habebant autem Romani, quibus præcipue huiusmodi pœnæ genus valde vsui fuit, metalla multa. Desumitur hoc ex l. sacrilegij. §. vlt. ff. ad l. Iul. pecul. & l. 9. atque 11. Codicis Theodosiani de indulgent. debit. lib. 11. Porro hac pœna damnati Metallici appellabantur, perinde ac metallo addicti & mancipati. l. aut damnum. §. 1. l. in metallum. & demum l. in seruorum. §. 1. ff. de pœnis.

Amplius, etsi nihil referre, nec diuersum esse, in metallum, inq. opus metalli damnari, dixerit Callistratus l. cognitionū numerus. in fin. ff. de var. & extraord. cognit. quia vtrius in perpetuum damnatus, libertatem amittebat, maximamq. per eam

capitis

capitis patiebatur diminutionem: attamen discrimen aliquod esse inter vtramque poenam, præsertim in vinculis, colligi potest ex l. aut damnum. s. inter eos. & l. sequenti, s. sed enim. ff. de poen. & l. capitalium. s. & vt generaliter. vers. diuus. ff. eo. & l. penult. in fin. ff. de var. & extraord. cognit. Namque grauioribus primum coercebantur vinculis qui in metallum dabantur, quam qui in opus metalli, dicta l. aut damnum.

Deinde, refugæ ex metalli opere, in metallum damnabantur; ex metallo vero refugæ grauius dumtaxat coercebantur, dicta quoque l. aut damnum.

Denique licet non debuerit quispiam ad tempus in opus metalli damnari; nihilominus si hoc alicui contigisset, libertas ei non perinde adimebatur, l. capitalium. s. diuus. ff. de poen.

Erat amplius tertium poenæ genus feminis etiam conueniens, in ministerium videlicet metallicorum damnari, de quo dicta l. aut damnum. Et de his hætenus.

Ad tempus in opus metalli danatus non amittit libertatem.

Femine damnabantur ad ministerium metallicorum.

De contumelijs & probris cum Gentium, tum hæreticorum, in sanctorum martyrum cadauera.

Quoniam paulo ante, S. Athanasij verba de Catholicis in exilium pulsos referentes, legimus Christianæ Orthodoxæq. fidei inimicos, non solum in SS. martyres adhuc viuentes crudelitatem exercuisse, sed etiam in eorum demmet cadauera: ob id opinamur non extra rem omnino fore, si de inhumanitate ac sæuitia ipsorum in martyrum corpora sensu vitæq. carentia adhibita, aliqua hoc loco scriptis mandemus.

Narrat igitur in primis Eusebius quamplurimis locis suæ historiæ de huiuscemodi re proposita multa, quorum aliqua recitabimus. Et sunt hæc:

Nam cum Cæsar responsum per litteras misisset, illos qui fidem Christi confiterentur, tympanis* esse torquendos; Præses beatos martyres, tamquam spectaculum & gloriosam pompam de illis multitudini præstiturus, ad tribunal deduci iubet: iterum in quæstionem vocat: datq. sententiam, vt qui municipales Romani essent, securi percuterentur, reliqui autem amandarentur ad bestias.]

* Tympana, in Aristophanis Pluto, ligna sunt quibus caderentur noxij. Hæc Rodiginus lib. 10. cap. 5. vbi sane fallitur, dum ait, apud Tertullianum aduersus Gent. cap. 12. ascias & runcinas inter instrumenta sæuitiæ connumerari. ibi enim, vt ex eodẽ Tertulliano & Pamelio colligitur, hoc inferri non potest: ad aliud quippe propositum verba illa, sicuti legem eum locum patebit, proferuntur.

Et

Et post sanctorum martyrio coronatorum victorias, adiecit: Verum eorum rabies & crudelitas in sanctos non ita exaturata fuit. Nam ab immani & furiosa bellua, diabolo, immanes illæ & barbaræ gentes exagitatae, vix, aut ne vix quidem a furore suo aliquando acquieuerunt: immo vero in corporibus martyrum suam deintegro contumeliam coeperunt & malevolentiam exercere. Nam quamvis martyrum constantia penitus essent superata; tamen quia omnem humanam rationem omnino exuissent, illorum amentia minime fuit retardata, repressaque: sed acerba bilis cum Præsidis, tum populi (qui quidem in nos letale odij sui virus euomebant) tamquam immanis belluæ magis magisque incensa; sic vt Scriptura vere impleretur: Impius adhuc impie agat, & iustus iustificetur adhuc. Etenim corpora eorum, quos carceris pestifer odor & cruciatus suffocauerat, canibus laceranda obijciuntur: studioseque nocte dieque obseruant, ne quisquam e nostris illa tumulis mandet. Tandem vero martyrum in amphitheatro interfectorum membra, quæ nec bestia adhuc vorarant, nec ignis absumpserat, partim minutatim dilaniata, partim instar carbonum ambusta, quinetiam securi percussorum capita vna cum corporum truncis collecta, dies complures similiter militum excubijs insepulta custodiunt. Porro alij frémere, & dentibus contra eos fréndere coeperunt, toto animo connitentes aliquam grauiorem in ea exercere contumeliam. Nonnulli irrisione ludere, & falsos cachinnos tollere, summaque commendatione & præconio idola sua efferre: quibus quidem tamquam auctoribus pœnam & ultionem Christianorum acceptam retulerunt. Non pauci, quamquam factis aliquanto modestiores erant, & de illorum afflictatione aliquantum condolere videbantur, verbis tamen eos acerbe vexare, ad hunc modum: Vbi iam illorum Deus? Quid illis hæc profuit religio, quam suæ ipsorum vitæ præposuerunt?

Quæ ad Gentilium crudelitatem pertinebant, talem habebant veritatem. Quæ autem ad nos, videbantur sane magnum mærorem propterea in se complecti, quod martyrum corpora humo tegendi nulla dabatur facultas. Neque enim nox ad hanc rem aliquid afferre præsidij, neque magna pecuniæ vis eorum

animos

*Contumelia &
præbra Gentium in
martyrum cor-
pora.*

animos flectere, neque preces vlla ex parte placare poterant: sed nulla non ratione & via corpora illa erant assidue ab illis obseruata: & id quasi in magno lucro deputatum, si penitus inhumata iacèrent. Paulo post etiam ista addunt: Martyrum corpora sex dies continuos sub dio iacentia & maxima ignominia affecta, post autem ab impijs illis & facinorosis carnificibus exusta, inq. cineres redacta, in Rhodanum fluuium, qui illic in proximo defluit, spargebantur, quo nullæ quidem illorum reliquæ amplius super terram restarent.] hæc Eusebius lib. 5. cap. 1. in M. Aur. & L. Vero.

Cineres martyrum in Rhodanum effusi, & quare.

Amplius lib. 8. cap. 6. Reliqua autem Christianorum multitudo vinculis colligata, & a lictoribus in scaphis imposita, in vastum maris gurgitem fluctusque præceps proiecta fuit. Famulos illos regios post mortem decòro & celebri funere terræ mandatos, Imperatores, qui eorum domini putabantur, rursus de integro effodiendos, inq. mare præcipitandos, sententijs decreuerunt: ne, vt eorum ferebat opinio, quidam eos in sepulcris & monumentis conditos, deos esse reputantes, diuina veneratione prosequerentur.]

Hi fuerunt e familia Diocletiani. Martyres sepulchri rursus effossi, & in mare proiecti.

Et cap. 7. Ad extremum, post graues & varias illarum etiam incurfiones SS. martyres ense obruncati fuere, & marinis fluctibus sepulcrorum loco mandati.]

Corpora martyrum gladio caesori in mare projiciuntur.

Et cap. 19. Iste igitur (hoc est, Maxys Tribunus) immanitate longius progrediens, & rabiem propè belluinam contra pios indies adaugens, adeo extra naturæ leges penitus egressus est, vt inanimis sanctorum virorum corporibus sepulturam impudens inuideret: & propterea cadauera sub dio, vt a bestijs dilaniarentur, noctu assidue & interdium seruari præcepit. Itaque non exiguum hominum numerum, multorum dierum spatio, huic immani & barbaro mandato inferuentium, cernere licebat. Quinetiã alij ex specula & loco edito, tamquam operæpretium facturi, ne cadauera surriperentur, sedulo obseruabant. Itaque agrestes bestię, canes, & aues carniuoræ membra discerpserunt humana, eaq. huc illuc disperferunt; & tota ciuitas vndique visceribus ossibusque hominum constrata fuit: adeo vt illis ipfis, qui ante fuissent infesto animo in nos affecti, nihil vniquam

Maxys Tribunus seuissimus sub Diocletiani Imperio.

Sepultura martyri corporibus negata.

quam crudelius, nihil aspectu horribilius videretur: neque tam eorum calamitatem in quos hæc admiffa erant, quam cum suam ipforum, tum communis parentis naturæ ignominiam deplorabant. Spectaculum enim humanarum carnum, non vno loco deuoratarum, sed vbique misere difiectarum (quod omnem dicendi facultatem, omnemq. tragœdiæ speciem longe superat) prope ciuitatis portas cuiusque oculis subiectum fuit. Nonnulli autem membra, cadauera integra, & viscerum partes etiam intra portas se vidisse dixerunt.

Sed audi modo miraculum magnum. Dum permultis diebus ista gerebantur, tale quoddam accidit. Cum clara esset serenitas, & aer pulchre splenderet, totiusque cæli omnia suo complexu ambientis summa extaret tranquillitas, derepente columnæ ciuitatis, quæ publicos & communes porticus sustentabant, multas veluti lacrymarum guttas quodammodo ex se profuderunt. Forum item, & plateæ, nulla pluviæ gutta ex aere decidente, nescio vnde, quove modo, aqua aspersæ maderunt: sic vt illico rumor per omnium ora volitaret, terram, vtpote rerum id temporis gestarum scelus & impietatem non ferentem, inexplicabili quadam ratione lacrymarum vim ex se fundere, & lapides naturamq. inanimam nefaria ea facinora deflere, quo hominum naturam tam ferream, tam immitem, tamq. ab omni affectione vacuum, iusta reprehensione coargueret.] Atque hæc quidem Eusebius: cui proxime accedere videntur Petrus Alexandrinus Episcopus apud Theodoretum historiæ Ecclesiasticæ lib. 2. cap. 20. in Valente, & Sozomenus lib. 5. cap. 8. in Iuliano. Ille his verbis:

Porro autem cum Palladius homo superstitioni deditissimus tenera puerorum Catholicorum corpora torqueret, quidam eorum post cruciatus remansere iure sepulturæ defraudati: idq. cum parentes, fratres, cognati, & tota pene dixerim ciuitas postularet, vt vnum hoc, atque adeo vltimum vitæ solatium illis tribueretur. Sed o sæuam iudicantis, immo vero condemnantis crudelitatem! Nam qui pro pietate decertarint, idem cum homicidis iudicium subeunt, corporaq. eorum manent insepulta: & qui pro fide strenue dimicarint, bestijs & volucris obijciun-

tur


Lacrymæ miraculose editæ in martyrum commiserationem.

tur ad vorādum : qui denique patres cæſorum conſcientiæ cauſa commiſerati ſint , tamquam impij facinoris auctores ſecuri feriuntur.] Sozomenus autem loco dicto hæc ait :

Vt vero eos (id eſt , ſanctos Eusebium , Neſtabum , & Zenonem) diſcerperant , & capita ita confregerant , vt cerebrum in terram efflueret : extra urbem deducunt ad locum , in quo animalia expertia rationis mortua proijci ſolent . Atque accenſo rogo , eorum corpora comburunt : reliqua autem oſſa , quæ ignis neutiſquam abſumpſerat , oſſibus camelorum & aſinorum , quæ ibi proiecta erant , admiſcent : adeo vt perdifficile eſſet ea inter tot oſſa reperire . Attamen non diu ſic latuerunt .] hucusque Sozomenus .


*Oſſa SS. mar-
tyrum, quæ ignis
non conſumpſit,
oſſibus aſinorum
& camelorum
admiſcent Geni-
les.*

Reliquum eſt modo , vt aliqua eorum , quæ explicuimus , formis expreſſa proponamus . Non enim ſingula quæque , quæ tam hoc capite , quam præcedentibus diſcuſſimus , tabel-
lis repræſentanda ſuſcepimus , ſed aliqua dumtaxat, eaq. præcipue quæ martyrij instrumen-
ta denotant, tamquam alijs cum
obſcuriora, tum etiam
difficiliora.






A Urgebantur sancti martyres de carnibus immolatis, deq. sacrificij vino degustare. Qui tamen ad hoc sacrilegium perpetrandum nulla vi, nullisq. minis adduci umquam potuerunt. De hoc pœnæ genere multa cap. precedenti: curauimus tamen hoc loco id representare, quoniam visus est nobis locus hic opportunior.




*A Sanctæ Christi virgines ignominie causa vel ad meretricum prostibula vi
ducebantur,*


B Vel sic ad turpitudinem radebantur.




In diebus illis quibus quidam de quibusdam
 quibusdam quibusdam quibusdam quibusdam
 quibusdam quibusdam quibusdam quibusdam
 quibusdam quibusdam quibusdam quibusdam



- A* Martyribus ob Christi fidem vel pellis detrahebatur,
B Vel eisdem adhuc tepentibus cor & viscera extrahabantur:
C Securi quandoque ipsorum capita contundebantur:
D Aliqui gladio obruncabantur,
E Alij ~~vel~~ telis configebantur,
F Vel præacuta sude aut consimilibus transfuerabantur:
G Alij ad duarum arborum ramos alligati descerpebantur:
H Aliqui demum acutis calamis sub manuum pedumq. unguibus infixis tor-
 quebantur.




A. In cruce crucifiguntur
 B. In cruce crucifiguntur
 C. In cruce crucifiguntur
 D. In cruce crucifiguntur
 E. In cruce crucifiguntur
 F. In cruce crucifiguntur
 G. In cruce crucifiguntur
 H. In cruce crucifiguntur
 I. In cruce crucifiguntur
 K. In cruce crucifiguntur



- A* Sanctorum martyrum vultus notis deturpabantur :
B Eisdem crura confringebantur .
C Alij vel ferarum pellibus induti, } canibus obijciebantur .
D Vel hoc qui expressus est modo }
E Alij praeterea aut in puteos praecipites dabantur :
F Aut culeo
G Vel denique plumbeis oculis inclusi } in profluentem projiciebantur .



A. Dispositio omnium rerum in hac parte
 B. Locus ubi confitebantur
 C. Ad hoc confitebantur in hac parte
 D. Ad hoc confitebantur in hac parte
 E. Ad hoc confitebantur in hac parte
 F. Ad hoc confitebantur in hac parte
 G. Ad hoc confitebantur in hac parte




- A* Christianorum aliqui vel muribus rodendi, ea, quam hæc figura demonstrat, forma, tradebantur,
B Vel vnus super alium perinde ac agmina locustarum in angustioribus custodiae includebantur,
C Vel etiam immixtis equitibus obtereantur.

K k



A. Christus crucifiguntur et vel ante vel post crucem, cui duntaxat signa demonstrantur.
 B. Post crucem super altari posita de signis in vestibus eius.
 C. Post crucem in altari posita signa eius ostenduntur.

Kf



- A* SS. martyres vestibus denudati vel super ferreos mūrices premebantur,
B Vel sic alligati per diuersa loca ducebantur,
C Aut in calcis fornacem conijciebantur,
D Vel demum ex altissimis locis precipites dabantur.




A. 22. Martyr. reliquis dandis sub ipso ferreo mureto p[er]cutitur.
 B. Vel sic dicitur per dicitur loca dicitur.
 C. Sicut in ceteris formis comparatur.
 D. Vel dicitur ex dicitur loca p[er]cutitur dicitur.

279



- A B Dabantur SS. martyres in metalla :*
C Quandoque vero, praesertim nobiles, animalium rationis expertium pastores
ac custodes constituebantur :
D Alij aut ad arenam fodiendam,
E Aut ad segetes desecandas damnabantur,
F Vel denique camelorum cura ascribebantur.



In diebus illis...
 et in diebus illis...
 et in diebus illis...
 et in diebus illis...
 et in diebus illis...

HAec itaque, quæ hucusque a me sunt enarrata, tormenta illa sunt, illiq. pariter cruciatus, quibus vtriusque sexus Christiani martyrij palma persecutionum temporibus donati fuere.

Hæc igitur, o formosi milites Dei, hæc, o inuicti duces Christi, hæc inquam, victoriæ vestræ clarissima sunt insignia, vestræq. insuper fidei ac fortitudinis apertissima indicia, hæc gloriatio vestra. Mors, o gloriosissimi bellatores Dei, quam cupide appetistis, perennem vobis felicemq. peperit vitam. O vos ergo vere beatos. Et quis vos plene beatos non prædicabit; siquidem diuitias, atque huius sæculi voluptates pro Christi nomine fastidio habentes, extremum vitæ spiritum atrocissimis tormentis profundere summopere concupistis? Quamobrem cum pressuræ tempore, cruciatuum dolores vobis auerentur, mentis oculis cæleste præmium intuentes, ad hunc modum Domino in cordibus vestris sine motu labiorum loquebamini: Amplificentur hic, o benignissime Domine, corporis supplicia, vt illic in paradiso voluptatis propagetur & requies. O pectora diuini amoris calore flagrantia, o corda Spiritus sancti ardore succensa.

Mirandum profecto non est, si in medio procellarum commorantes fortissimi athletæ Dei, non solum deterreri non potuerint, immo promptiores, robustioresq. ex eis effecti, vehementissime sitierint, vt singulis horis noua eis, & quidē acerbissima crudelissimâq. supplicia, perinde ac si pœnis saturari non possent, admouerentur.

Sed o miseros nos, o infelices: quam, quæso, quam excusationem apud Dominum in tremenda Iudicij die habituri sumus, qui sine persecutionis atrocitate, sineq. cruciatibus, charitatem Dei, vitamq. nostram ita paruipendimus, vt torporis somno detineri omnino velimus? Quid igitur tunc temporis agemus? quid dicemus, quando & columnæ cæli contremiscent? quando singulæ tribus terræ plangent? quando nobilissimi, beautissimiq. Christi martyres propè folium gloriæ magna cum lætitia ac fiducia astantes, vulnerum cicatrices ostendent in suis corporibus lucentes, Solisq. fulgorem propria claritate superantes? nos quid tunc ibi ostensuri sumus? quas virtutes in medium adducturi? num charitatem Dei? num inuio-

labilem

labilem fidem? num terrenorum omnium nuditatem? num elemosynas? num ieiunia, carnisq. macerationem? an mansuetudinem? an patientiam? num orationes mundas? an lacrymas? num compunctionem salutarem? an forte cordis tranquillitatem? an quietem? an vigilias. O beatos sane illos, o felices, quos illic ista amplectentur: efficientur enim & martyrum socij, & eorundem gloriae participes, ac consortes.

Rogamus itaque, etiã atque etiam oramus, & obtestamur vos, o beatissimi martyres, qui pro Deo, proq. illius charitate sponte, hilariq. vultu tormenta sustinuisistis, atque ideo maiore ei familiaritate coniuncti, vitam nunc beatam ducitis, vt pro nobis miseris, peccatisq. grauissimis obnoxij, ac negligentiae squalore sordentibus Dominum interpellare dignemini; quo cum toto corde, totisq. viribus in hac valle lacrymarum diligentes, mereamur in die mala, quando occulta hominum manifesta fient, misericordiam consequi, ac salutem æternam. Nec, quaeso, mei omnium miserrimi, o gloriosissimi Dei milites, obliuiscamini: vestris enim precibus felicitatem perpetuo duraturam consequi, vitamq. beatam adipisci, vobiscumq. etiam torrente voluptatis Dei potari, vbertateq. domus eius inebriari, & desidero, & toto animi affectu atque conatu exposco.

F I N I S.

INDEX